INSTITUTIONES METAPHYSICÆ
IN USUS ACADEMICOS,

AUCTORE

EDUARDO CORSINO

CLERICORUM REGULARIUM
SCHOLARUM PIARUM,
in Academia PISANA
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE.

TOMUS SEXTUS.



VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
MDCCLIV.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



INDEX.

METAPHYSICÆ

Pars Prima.

METAPHYSICÆ

Pars Secunda,

METAPHYSICÆ

Pars Tertia,

Sive Theologia Naturalis. 193



NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Institutiones Metaphysicæ ad usus Academicos Auctore Eduardo Corsini Clerico Reg. Scholarum Piarum MS.* non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo Licenza che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 3. Ottobre 1753.

(Giovanni Emo Proc. Rifor.
(
(Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Rif.

Gio: Girolamo Zuccato Segr.

Adi 19. Novembre 1753.

Registrato nel Magistrato Eccell. degl' Esecutori contro la Bestemmia.

Dionisio Querini Segr.

AU-



AUCTORIS

PRÆFATIO.



On immerito fortasse ego vereor, ne facile plerisque, quibus superior studiorum meorum ratio perspecta fuerit, id novum, planeque mirum accidat, quod hoc præsertim tempore de Metaphysicis Institutionibus edendis cogitaverim; eamque methodum in adornandis illis usurpaverim, quæ à recepta jam consuetudine, aliorumque Scriptorum methodo recedere videatur. Etenim, cum pluribus ab hinc annis ex Philosophicis disciplinis, in quibus antea versatus fueram, ad erudita Antiquitatis studia conversus labores omnes, industriam, ac ingenii vires ad ea excolenda jucundissime contulissem, pleraque jam à me conscripta in Attica præsertim Historia, variisque Græcorum Monumentis opportune illustrandis su-

periori tempore in lucem edidi: plurima quoque tum in quarto postremoque Fastorum Atticorum volumine, tum in Asiaticis Inscriptionibus recensendis, interpretandis, explicandisque disposita, atque edenda supersunt. Itaque à suscepto semel consilio, & jucundissima studiorum meorum ratione abhorrere plurimum videbitur, si operum illorum seriem abrumpens ad hæc alia repente digrediar; atque iterum ad Philosophiam ipsam, veluti tempestate quadam delatus, eam potissimum ipsius partem exponendam suscipiam, quæ ceteris omnibus aut elegantia, aut jucunditate concedere existimatur. Deinde vero, cum hæc præstantissima Philosophiæ pars, quæ avorum nostrorum ætate vel omnino deseri, vel certe rudis, aspera, atque indecora prodire, ac languere propemodum videbatur, superiori sæculo à doctissimis viris admirabili prorsus ingenii acumine, nitore, atque ubertate pertractata fuerit, adeoque nostra hac ætate Leibnitio, Clarkio, Lokio, Volfio, aliisque pluribus facem præferentibus uberrima quadam luce perfusa & incredibili quæstionum varietate amplificata sit, ut nulli propemodum Facultati concedere merito censeatur, reprehendi posse ego videar, qui in tanta rerum copia, & præceptorum numero

pau-

pauca solum hic delibaverim; atque ex uberrimis fontibus illis tenues solum veluti rivulos in Institutiones à me dispositas derivaverim. Utrumque tamen neque temere, neque inconsulto à me factum esse facile intelliget quicumque noverit quo plane consilio, quave de caussa id operis susceperim. Etenim sextus jam annus agitur, ex quo plurima in Pisana Academia Imperatoris Cæsaris Francisci I. auctoritate, ac beneficentia vel recens instituta, vel meliori quadam, nobiliorique methodo disposita sunt; ut exinde novus Academiæ nostræ splendor, simulque nova studiosæ Juventuti præsidia accederent. Quemadmodum enim Astronomiæ, Analyseos, Juris Publici, Physices Experimentalis studia impensius hic coli Ille voluit, earumque Facultatum publice docendarum munus præstantissimis viris concessit; ita quoque decreto suo sancivit ut Dialectices, ac Metaphysices studia, quæ à nonnullis Adolescentibus aliquando deseri, vel remissius, quam par erat, aut levius delibari consueverant, à singulis omnino Auditoribus severius in posterum, atque accuratius perficerentur, nec ulli prorsus ad honores, & gradus, qui peracto jam studiorum curriculo veteri solemnique ritu conferuntur, aditus pateret, nisi prius hæc ipsa

duarum Facultatum studia coluisset. Quandoquidem vero mihi, cui tum Moralis Philosophiæ publice tradendæ munus obtigerat, illud etiam ab Imperatore Cæsare, ac sapientissimis Academiæ nostræ Moderatoribus commissum fuit, ut singulis annis privatim, iisque solum diebus, quibus in Academia publicæ Prælectiones habendæ non forent, Metaphysicas Institutiones exponerem, facile intellexi id commode fieri non posse, nisi præcipua solum, ac nobiliora præstantissimæ Facultatis capita complecterer, quæ excitandis, dirigendis, erudiendisque Adolescentum ingeniis magis conferre viderentur. Ac certe quidem si in latissimis, ac infinitis fere Disciplinæ hujus spatiis liberius excurrere, atque pro rei dignitate singulas ipsius partes ac quæstiones omnes persequi libuisset, quæ à doctissimis viris in Metaphysica proponi jam solent, hæc universa unius anni finibus coerceri sane non poterant, & Adolescentes illi, qui Pisas concesserant, ut gravioribus disciplinis aliis, præsertim vero Jurisprudentiæ, ac Medicinæ se traderent, non sine maxima temporis jactura, adeoque nobiliorum ejusmodi studiorum detrimento in primoribus his disciplinis longiorem operam collocassent.

Itaque temporis angustiæ, Adolescentum

tum commodo, prudenti Moderatorum consilio gerendus mos fuit; eaque prorsus methodo Metaphysicæ Institutiones adornandæ à me fuerunt, ut in solos Academicos usus dispositæ, atque editæ viderentur. Cumque experimento ipso, diuturnaque plurium annorum observatione compertum foret Adolescentibus ipsis incommodum plerumque, ac mire molestum esse si in exscribendis illis non mediocrem temporis partem insumerent, ideoque à plerisque omnibus optari intelligerem ut Institutiones illæ typis editæ circumferrentur, facile ipsorum desiderio assentiri me decuit; adeoque Institutiones, quas jampridem Auditoribus meis exscribendas tradideram, paullo nunc uberiores, & exemplorum varietate, rationum numero, gravissimis interdum veterum testimoniis subinde illustratas, nitidiorique cultu ornatas edere decrevi. Ita nimirum facile fieri posse putavi, ut Adolescentes ipsi Metaphysicæ præcepta eleganter typis excusa, atque à pluribus etiam mendis, quæ scribentibus irrepere plerumque solent, expurgata libentius, atque alacrius percurrerent; simulque plurima, quæ viva Præceptoris voce fusius exposita, atque opportune variis in locis adjecta fuerint, accuratius imbiberent. Quamvis tamen ejusmodi Me-

taphysicarum rerum doctrina hic à me tradita ea de caussa angustioribus veluti finibus circumscripta sit, satis tamen Auditorum nostrorum commodo consultum esse confido. Quidquid enim ad primam Metaphysicæ Partem referri facile poterat, aut certe quidquid ex illa præsidii, ac splendoris in ceteras disciplinas omnes manare posse videbatur, partim ex accuratissima Dialecticæ Facultatis cognitione, quam adepti jam fuerant, partim ex hac ipsa Institutionum nostrarum serie haurire illi poterunt, si ingenium, solertiam, exercitationem, acrioremque meditationem attulerint. Quidquid vero ad alteram Metaphysicæ partem, sive Psychologiam spectare debet, ex uberrimis Physices fontibus, quibus eximia Præceptorum cura admoventur, obtinere illi solent; quemadmodum plurima, ac infinita fere, quæ ad tertiam Metaphysicæ partem, sive Theologiam naturalem attinent, in sacris disciplinis, quibus hic optime erudiuntur, feliciter assequentur. Illud unum mihi propositum fuit, adeoque maxime cordi esse debuit, ut in singulis Metaphysicæ partibus ea præsertim lumina studiosæ mihique creditæ Juventutis mentibus affulgerent, quibus Adolescentes ipsi in gravioribus Disciplinis aliis veluti præsidiis uti possent; præcipue vero

ra


ro ipsorum animus ita in perspicienda, asserendaque humanæ Mentis immortalitate, arbitrii libertate, supremi Numinis existentia, ceterisque Theologiæ naturalis dogmatibus informarentur, ut facile à perniciosis quibusdam opinionibus, quæ liberius in dies serpere alicubi conspiciuntur, cavere illi possent. Quod si fortasse cui libeat gravissima id genus Metaphysicæ capita, ex quibus morum honestas, legum vis, tranquilla civium societas, ipsa demum religio pendere debet, accuratius cognoscere, non modo præstantissimos Scriptores alios adire ille poterit, qui de rebus istis subtiliter, accurate, & uberrime disputarunt; sed eximia quoque Academiæ nostræ lumina, doctissimos nempe viros consulere, qui hæc ipsa aut voce aut aureis etiam scriptis editis illustrarunt.

Id operis hujusce mei, simulque impositi muneris esse debuit, ut sinceræ, veræque doctrinæ capita, adeoque prima honestatis, virtutum, ac religionis semina Auditorum nostrorum animis insererem; quæ facile deinde adolescere profecto possent, nisi aut ingenio liberius indulgeant, aut effræni novitatis ardore perciti sint, aut demum pravis animi cupiditatibus ac perditis etiam quorumdam opinionibus abripiantur. Ejusmodii

modi vero syrtes declinare, vereque sapientiæ tramitem insistere illi poterunt, si ad hæc studia ingenuum veritatis inquirendæ amorem attulerint, si perspicuo rationis lumine constanter ubique dirigantur; si denique in iis, quæ tenues Mentis humanæ vires excedunt, solam certitudinem, non vero perspicuitatem temere inquirant, ut suis in locis opportunius observabitur. Quod si ad eximium hunc fructum facilius assequendum Metaphysicæ Institutiones istæ aliqua ex parte conferre possint, erit certe cur studium, ac laborem in adornandis illis susceptum optime collocatum existimem; cum nihil sane aut jucundius, aut optabilius esse debeat, quam si studia nostra aliis prodesse, eosque ad veritatem, honestatem, religionem, veramque hominis sapientiam dirigere possint.

Pisis, Kalendis Aprilis anni 1752.

IN



IN METAPHYSICAS INSTITUTIONES

PRÆFATIO.

I. 
Apientes illi, qui Facultatum omnium naturam, caussas, originem, munera, varietatem, ipsarumque discrimina subtilius explorarunt, innumeris disciplinis aliis, quæ erudiendis hominum mentibus, variisque rerum generibus accurate cognoscendis institutæ fuerant, Facultatem aliam adjungendam esse putarunt, quæ ceteris omnibus longe sublimior attributa illa, vel affectiones omnes exponeret, quæ singulis entium generibus inesse possunt; ideoque ad Ens ipsum à circumstantiis omnibus, ac differentiis secretum, veluti objectum, dirigeretur. Etenim Facultates omnes, quæcumque illæ fuerint, peculiare quod-

dam

dam entis genus considerant, & affectiones illas exponunt, quæ in ejusmodi solum entis genere continentur; nihilque prorsus in disciplinis illis inquiritur, aut explicatur, quod in hoc ipso certo, distinctoque entis genere non comprehendatur, aut illi arctissimo veluti fœdere non conjungatur. Itaque Facultates ipsæ quibusdam veluti finibus circumscriptæ sunt; &, quamvis maxima, ac infinita fere cognitionum series in illis acquiratur, universa tamen hæc series ad unicum objectum illud dirigitur, quod eidem Facultati cognoscendum proponitur; ut proinde ex hac ipsa objectorum varietate, sive discrimine varietas etiam illa, sive distinctio profluxerit, qua Facultas una à Facultatibus, vel disciplinis aliis secernitur. Sic, ut exemplo quoque res clarior fiat, *Mathematicæ* Facultates omnes *Quantitatem* veluti objectum considerant; nihilque prorsus in illis inquiritur, proponitur, aut demonstratur, quod ad *Quantitatem* ipsam, variasque illius species, aut affectiones non pertineat. *Astronomia* cælestia corpora veluti objectum sibi propositum contemplatur; adeoque quidquid corporibus ipsis inesse potest, accuratissime exponit. *Physica* universa corpora mo-

tui,

tui, vel mutationi subjecta considerat; *Botanice* Plantas, *Anatome* corporis animati structuram, *Medicina* corporis ejusdem ægritudinem, aut sanitatem contemplatur; atque, ut uno omnia verbo complectar, Facultates omnes, cum peculiari cuidam, distinctoque entis generi cognoscendo sint institutæ, ad objectum ipsum constantissime diriguntur, easque solum affectiones considerant, quæ ejusmodi objecto conveniunt, ceterisque rebus inesse, vel objectis aliis convenire non possunt.

II. Quamvis autem maxima, ac infinita fere affectionum varietas in objectis illis appareat, quæ vel à sensibus percipi, vel ab intellectu nostro cognosci, vel in variis disciplinis accuratissime exponi possunt, plurimæ tamen affectiones aliæ, principia, vel attributa reperiuntur, quæ singulis entium generibus inesse debent; ut proinde affectiones illæ, non entis alicujus propriæ, sed entibus ac objectis omnibus communes esse, vocarique debeant; quippe quæ non alicui solum peculiari, distinctoque entium generi conveniant, sed nullis propemodum finibus circumscriptæ ad universa potius entium genera, vel objecta singula diffundantur.

Ita-

Itaque, ficuti affectiones illæ, five attributa, quæ peculiari folum diftinctoque entis generi ineffe poffunt, peculiaris etiam diftinctæque Facultatis opera, five præfidio cognofcuntur, atque ex ejufmodi affectionum difcrimine ipfa quoque Facultatum varietas, atque diftinctio profluxit; ita quoque affectiones illæ, principia, vel attributa, quæ fingulis entium omnium generibus ineffe poffint, alterius Facultatis opera cognofci debent, quæ ceteris difciplinis omnibus longe fublimior ad fingula objectorum, vel entium genera latiffime diffundatur; adeoque non peculiare quoddam entis genus confideret, fed Ens ipfum, prout eft ens, contemplatur; illud nimirum à circumftantiis omnibus, & affectionibus fecretum confiderat, quarum ope, veluti difcrimine vel charactere quodam, Ens ipfum varias in claffes, aut entium genera diftinguatur. Quandoquidem vero affectiones illæ, five attributa, quæ ab ejufmodi Facultate fpectari debent, fingulis omnino entium generibus ineffe poffunt, perfpicue apparet quod Facultas illa non corporeas folum, fed incorporeas etiam, fubftantias, ipfarumque vires, naturam, & affectiones omnes confiderat; quidquid nimirum in ipfa

in-

inquiritur, aut explicatur non corporeis modo, sed incorporeis quoque rebus commune esse debet; ut proinde uberrima hæc Facultas nullis, ut antea diximus, rerum terminis circumscripta, incorporea quoque objecta ambitu suo, atque infinita propemodum amplitudine complectatur. Hinc illa à Philosophis omnibus optime accurateque definiri jam solet: *Facultas, quæ generales omnes Entis affectiones corporeis, & incorporeis etiam entibus communes considerat; adeoque incorporeas etiam substantias, ipsarumque affectiones solo rationis lumine nobis perspicuas contemplatur.*

III. Ejusmodi vero Facultas ab Aristotele, (*a*) aliisque pluribus Σοφία *Sapientia* dicitur: perinde quasi nobilior, ac sublimior censeri illa debeat, quam ut, aliarum Facultatum instar, communi *Scientiæ* nomine vocari possit. Interdum etiam ab Aristotele (*b*) Φιλοσοφία *Philosophia*, sive (*c*) Φιλοσοφία πρώτη *Philosophia prima* vocata fuit; non modo quod illa ceteras Philosophiæ partes excellere

(*a*) *Metaph. Lib. 1. cap. 2.*
(*b*) *Lib. 4. cap. ...*
(*c*) *Lib. 6. cap. 1.*

lere videatur; verum etiam quod in reliquis Philoſophiæ partibus, adeoque diſciplinis omnibus rite, ac feliciter comparandis facem præferat, ideoque ante ceteras Facultates omnes exponi conſueverit. Ita propemodum Facultas ipſa ab Ariſtotele Θεολογικὴ *Theologica* appellata fuit, quod omnes fere *Phyſicæ*, ſive creatæ *naturæ* fines excedens naturæ Auctorem, Deumque conſideret: quemadmodum prorſus à plurimis *Theologiæ naturalis* nomine deſignari illa ſolet, quippe quæ Deum ipſum, ejuſque attributa ſolo tamen rationis lumine, ſive naturæ viribus contemplatur; cum purior, ac nobilior Facultas illa, quæ *Theologia*, ſive *Theologia ſupernaturalis* vocatur, Dei naturam, attributa, ac myſteria ſingula naturæ viribus impervia, divinæ quoque revelationis præſidio, adeoque divinæ fidei lumine ſpeculetur. Denique Facultas ipſa ab aliis Πνευματολογία *Pneumatologia*, ſive *Spirituum ſcientia* appellatur, quod ſingula *Spirituum*, ſive incorporearum ſubſtantiarum genera contempletur, *Angelos* nimirum, *humanos animos*, ac *Deum*, ut accuratius exponetur ubi de variis Metaphyſicæ partibus, atque diſcrimine agendum erit. Frequentius tamen uberrima hæc Facultas *Meta-*

phyſi-

phyſicæ nomine vocari ſolet; quamvis ejuſmodi nomen & Ariſtoteli, & ceteris etiam antiquioribus Græciæ Philoſophis incognitum fuerit, atque ab Interpretibus Ariſtotelis, ſive Grammaticis quibuſdam temere ſolum, ac fortuito inventum memoretur.

IV. Etenim, cum Ariſtotelis Opera Theophraſto primum, tum Neleo cuidam Scepſio relicta, (*a*) Athenas demum delata, ibique ab Apelliconte Tejo empta, recenſita, variiſque in locis, ubi lacunæ plurimæ ac hiatus irrepſerant, reſtituta fuiſſent (*b*), direptis demum à Sylla Athenis Romam translata fuerunt, (*c*) ibique à Tyrannione quodam Grammatico, & Andronico Rhodio diſpoſita, variaſque in claſſes diſtributa ſunt. (*d*) Itaque, cum Interpretes illi Ariſtotelis Opera mirifice jam vitiata tres in partes hoc ordine digeſſiſſent, ut alia quidem Λογικὰ *Logica*, alia vero Ἠθικὰ *Ethica*, alia denique Φυσικὰ *Phyſica* inſcriberentur, ſimulque tamen ſcri-

pta

(*a*) *Laert. Lib. 5. ſeg.*
(*b*) *Athena. Lib. 5.cap.* 14.
(*c*) *Plutarch. in S lla.*
(*d*) *Strabo Lib.* 13. *pag.* 600.

pta plurima superessent, quæ promiscua fuerant, nullique certæ classi conjungi vel inseri posse videbantur, hæc opera, sive *biblia* à Grammaticis illis græca voce *μετὰ τὰ φυσικὰ post Physica*, vel Μεταφυσικὰ *Metaphysica* sunt appellata, quod illa nimirum Physicis Libris subjecta, vel temere Physicis adnexa forent. Hinc *Metaphysicæ* nomen non ex Operis argumento, sed ex fortuito solum Librorum ordine, ac situ derivatum fuit. Ac certe quidem quicumque XIV. illos Aristotelis Libros accuratius inspexerit, qui *Metaphysici* inscribi solent, facile profecto intelliget ipsorum singulos confusos adeo, ac perturbatos esse, ut in iis plurima quidem de *Logicis*, aliqua de *Physicis*, pauca vero de *Metaphysicis*, hoc est de communibus Entis affectionibus, vel incorporeis rebus, disputentur, atque universa fere adeo discerpta, levia, ac vitiata fuisse, ut Aristotele prorsus indigna, ipsique suppositа à Gassendo, aliisque pluribus existimentur; cum præsertim Laertius, qui singula Aristotelis Opera recensuit, nullibi vel *Metaphysica*, vel *Metaphysicæ Libros* memoraverit. Hæc ipsa tamen Opera ad Aristotele profluxisse plurimis, iisque perspicuis characteribus ostendi posset. At certe quidem, ne

rre argumentis aliis hic immorer, Plutarchus ipse Libros illos, qui ipsius ætate jam μετὰ τὰ φυσικὰ *Post-Physica* inscripti fuerant, ab Aristotele exaratos esse demonstrat, eosque tamen prorsus inutiles, tantoque Viro indignos esse testatur: (*a*) ἀληθῶς γὰρ ἡ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία πρὸς διδασκαλίαν, καὶ μάθησιν οὐδὲν ἔχουσα χρήσιμον *tractatio illa, quæ Post-Physica inscribitur, nihil vere continet, quod eruditioni, doctrinæque conferre possit*. Itaque quidquid in Libris illis temere, atque confuse differitur, Aristoteli adscribi debet; quamvis ejusmodi Librorum compages, ipsumque nomen non ab Aristotele, sed à Grammaticis, aut Interpretibus illis, prodierit; eaque de caussa à Laertio momorati non fuerint, qui eos solum Libros recensendos suscepit, quibus Aristoteles ipse titulum, verumque nomen inscripserat.

V. Quemadmodum vero Interpretum illorum studiis, atque consilio ex disjectis illis, vitiatis, confusisque Aristotelis scriptis peculiare quoddam, novumque Aristotelis Opus erupit; ita

---

(*a*) *In Alexan.*

ita quoque iis præsertim ducibus institutum fuit ut Metaphysica ceteris Philosophiæ partibus accenseri, ac veluti nova quædam, sive distincta Philosophiæ pars haberi consueverit, adeoque in posterum quatuor Philosophiæ partes numerari cæperint, *Logica* nimirum, *Metaphysica*, *Physica*, atque *Ethica*. Verum, ut præstantissimi Viri observarunt, Logica, sive Dialectica dirigendo solum perficiendoque rationis lumini instituta fuit, ut ipsius præsidio occulta veritas inveniri, inventa nitide, accurateque ceteris ostendi posset; vitia, quæ disserendo obrepere plerumque solent, vitari; omnia nitide definiri, suas in partes distribui, clariorique methodo exponi possent. Hinc Logica ipsa non peculiaris quædam, atque distincta Philosophiæ pars, sed Facultatum omnium præsidium, instrumentum, atque, ut Aristoteles ipsam inscripsit, *Organum* censeri solet; cumque illa, ut eleganter ait Cicero, (a) sit quædam *Sapientiæ pars, quæ per omnes Sapientiæ partes manat, ac funditur*, non Philosophiæ solum, sed omnium

potius

(a) *Tuscul. Quæst. Lib.* 5. *cap.* 25.

potius Facultatum, pars haberi illa poterit. Ita propemodum Metaphysica, quæ communes entium omnium affectiones inquirit, nullisque objecti alicujus, aut Scientiæ finibus circumscribitur, prima veluti Facultatum aliarum semina complectitur, Facultates omnes pervadit, adeoque non Philosophiæ pars, sed Facultatum omnium præsidium, ac veluti fons uberrimus esse debet, ex quo nitida quadam, nativaque serie peculiares illæ cognitiones dimanent, quæ in ceteris Facultatibus acquiruntur. Itaque, licet communi jam receptoque more quatuor Philosophiæ partes distingui consueverint, optime tamen à Cicerone (a) dictum accepimus quod *plena Philosophia est, quæ constat ex duabus Physica, & Ethica*; quod nimirum Logica, & Metaphysica veluti præsidia, vel instrumenta quædam habendæ sint, quibus mens nostra in disciplinis omnibus comparandis dirigitur, ac illustratur. Ceterum sive reliquis Philosophiæ partibus hæc accenseri, sive peculiaris Facultatis instar ha-

(a) *Rhitor. cap.* 1.

**

haberi illa debeat, perinde est: illud unum hic opportune observasse juverit, quod Metaphysica reliquis Philosophiæ partibus adjungi tunc cœpit, cùm ab Interpretibus Aristotelis hæc à Logicis, Ethicis, Physicisque Libris sejuncta, atque in unum veluti corpus congesta fuit; quamvis Aristoteles, aliique Veteres hoc *Metaphysicæ* nomen, partiumque seriem, aut ordinem ignoraverint.

VI. Quamvis autem hoc celebre, magisque usitatum *Metaphysicæ* nomen à Grammaticis illis incœperit, eximia tamen Facultas, quæ hoc ipso nomine designatur, à primis usque temporibus non apud Græcos solum, sed etiam Ægyptios, Arabes, Persas, Chaldæos, aliosque Populos sapientiæ gloria commendatos floruisse conspicitur. Etenim plurima à Veteribus illis de Ente, de unitate, bonitate, varietate, de universalibus Ideis, de mentis humanæ natura, de Spiritibus, de Deo ipso subtiliter inventa, præclare exposita, accuratissime demonstrata memorantur, ut ex Platone, Laertio, Cicerone, Empirico, aliisque Scriptoribus erudimur, atque in aureolo Clerici Libro demonstratur, in quo *Orientalis Philosophiæ Historiam*, nobilio-

ra-

**

Ita nempe Gentium illarum dogmata, exposuit. Ita quoque plurima, ac universa fere Metaphysicæ doctrinæ capita; quæ ab antiquioribus Philosophis illis tradita, ac illustrata fuerant, in eximio præstantique Opere Brukerus complectitur, quod *Criticam Philosophiæ Historiam* inscripsit; quemadmodum universa fere veterum Philosophorum placita, quæ ad Metaphysicam ipsam spectare poterant, incredibili eruditionis copia, & ingenii acumine Cudvorthus exposuit in aureo, atque immortali Opere, quod *Intellectuale Mundi Systema* inscripsit, atque nuperrime Cl. Moshemius eruditis, optimisque observationibus uberrime illustravit. Ceteros tamen Sapientes omnes, aut Græciæ Philosophos, qui plurima ab Ægyptiis, Chaldæis, exterisque Gentibus aliis acceperant, ingenii acumine, ac Metaphysicæ doctrinæ studio Pythagoras superavit; ut proinde plurima à Pythagoricis ipsis egregie inventa, optimeque exposita memorentur; iisque prima *Categoriarum* inventio, sive suprema Entis divisio adscribi consueverit. Plurima quoque ex Pythagoricæ doctrinæ fontibus, præsertim vero ex Parmenide, Zenone, Melisso, Archyta, Theæteto,

Ocelo, Timæo, aliisque Italicæ vel Pythagoricæ Sectæ Philosophis in *Academicam* Sectam à se conjunctam derivavit Plato, quæ à Jambycho, Porphyrio, Plotino, aliisque Platonis Interpretibus aucta, ac illustrata ad hæc usque tempora pervenerunt: ne quidpiam de Themistio, Philopono, Alexandro Aphrodisiensi, ceterisque Philosophis dicam, qui Metaphysicos Aristotelis Libros florentibus adhuc in Græcia Sapientiæ studiis uberrime explicarunt.

VII. Ubi vero prostrata jam Imperii Romani majestate, & extincta fere apud Græcos, Latinosque sapientiæ gloria, immanis quædam barbaries ubique gentium incubuisset, Aristotelis Opera in Arabicam linguam translata ex Hispania, quam Arabes ferro, flammaque occupaverant, in finitimas Europæ Provincias invecta fuere; ac Metaphysicæ studium à Scholasticis, Aristotelicæ doctrinæ cultoribus, incredibili prorsus ardore susceptum fuit. Sed inutilibus tamen, ambiguis, & obscuris quæstionibus illud implicatum fuit, ut subtilitas illa, quæstionum numerus, ac infinita varietas opprimendo potius, & extinguendo, quàm excitando, dirigendoque

que rationis lumini conferre videretur. Quicumque tamen in Scholasticos ipsos subtilius inquirere aut possit, aut velit, facile profecto intelliget, ipsorum plerisque neque vividum ingenii acumen, neque eximiam cogitandi vim, neque accuratum disserendi robur debuisse, quod optimo maximoque jure de Origene, Tertulliano, Arnobio, Augustino, Lactantio, Hilario, aliisque pluribus Ecclesiæ Patribus, intelligi, censerique debet; sed illud unum in Scholasticis ipsis reprehendi merito poterit, quod Aristoteli nimium addicti ipsius sententias inutilibus, atque infinitis quæstionibus varias in partes detorserint.

VIII. Itaque præclare de Metaphysicæ Facultatis studio, ceterisque disciplinis omnibus meriti sunt qui ineunte fere superiori seculo de restituendo Metaphysicæ quoque splendore sedulo cogitarunt, ut Verulamius, Cartesius, Morus, Claubergius, & Malebranchius, qui eximiam hanc Facultatem nova, clariorique methodo pertractarunt. Maximus deinde splendor ex accuratis Parkerii, Clarchii, Cudvorthi, Lokii, aliorumque studiis Metaphysicæ accessit, qui singulas, aut nobiliores

certe Metaphysicæ partes incredibili subtilitate, ingenii acumine, elegantia, perspicuitate uberrime illustrarunt; quemadmodum plurima Metaphysicæ capita Leibnitius, ac Volfius nostris fere temporibus explicarunt, ut suis in locis opportunius ostendetur.

IX. Illud hic tamen ingenue fateri, vel opportune monuisse juverit, quod in doctissimis etiam, atque acutissimis Viris aliqua subinde occurrunt, quæ, quamvis subtiliter inventa, eleganter exposita, magnificeque à Scriptoribus aliis commendata fuerint, perspicue tamen & à puriori sinceroque rationis lumine, & ab ipsis etiam divinæ fidei, veræque Religionis legibus abhorrent. Etenim acrior illa subtilitas, simulque vehemens ac impudens novitatis ardor, maxima cogitandi, scribendique licentia nullis fere divinis humanisque legibus circumscripta liberioris ingenii viros aliquando in errores, atque impietatem abripuit, ut opportune demonstrabitur ubi de incorporea mentis humanæ substantia, de arbitrii libertate, de ipsa quoque Dei existentia, aliisque pluribus agendum erit.

X. Quod si Metaphysicæ doctrinæ series suis ex fontibus, hoc est ex pri-

primis cognitionis nostræ principiis, primisque notionibus, quæ mentibus nostris impressæ fuerant, perspicuo quodam ordine deducatur, ut à melioribus sane Scriptoribus factum esse conspicimus, tantum abest ut illa divinæ fidei lumini, sacrisque Religionis nostræ legibus adversetur, aut in errores abripere fortasse possit, ut plurimum potius humanos animos ad honestatem, veramque Religionem informet: atque eximiam prorsus opem ad Theologiam, sacramque divinorum scientiam informet. Ita quoque Metaphysicæ studium maximo Jurisprudentiæ ceterisque disciplinis omnibus præsidio esse debet; cum præsertim in singulis Metaphysicæ partibus insignis adeo perspicuitas, certitudo, atque admirabilis rerum connexio reperiatur, ut, si Mathematicas solum Facultates exceperis, nulla Facultas alia inveniatur, quæ varias quæstiones dirimere, suasque veritates geometrica fere methodo exponere perfectè possit; quemadmodum sane Spinosa Metaphysicas Cartesii Meditationes, atque nuperrime Volfius universam Metaphysicæ doctrinæ seriem synthetica, ac geometrica methodo demonstravit.

XI. Exinde vero maxima, & eximia pror-

prorsus Facultatis hujus dignitas, atque præstantia deduci poterit; cum disciplinæ singulæ eo puriores nobilioresque debeant censeri vocarique, quo uberior in iis perspicuitas, & certitudo reperiatur. Itaque, cum Metaphysica tum certitudine, tum perspicuitate excellere videatur, optimo maximoque jure à Leibnitio *Scientia* omnium *princeps* vocatur. Ex ipsa quoque objecti præstantia, vel Entis illius dignitate, quod in ipsa proponitur, & explicatur, Metaphysicæ nobilitas, atque præstantia deduci poterit; cum incorporeæ substantiæ, ac Deus ipse, qui in illa à nobis inquiritur, ac demonstratur, ceteris omnibus Facultatum aliarum objectis longe nobilior, atque sublimior haberi debeat. Hinc Aristoteles observavit Physicam de mutabilibus solum, corporeisque rebus disserere; Mathematicam vero incorporeas quidem, atque immutabiles res contemplari; sed eas tamen, quæ *substantiæ* nomine decorari non possint, sed affectionum instar haberi debeant, quæ corporeis substantiis accidere, ac inhærere possint, adeoque ab illo *inseparabiles* appellantur: tandemque concludit nobiliorem Facultatem aliam admittendam esse, quæ circa immutabiles, simulque *separabiles*,

hoc

hoc est subsistentes res, incorporeas nempe substantias, occupetur: (a) Ἡ μὲν οὖν φυσικὴ περὶ τὰ κινήσεως ἔχοντ' ἀρχὴν ἐν αὐτοῖς ἐστιν· ἡ δὲ Μαθηματικὴ θεωρητικὴ μὲν, καὶ περὶ μένοντά τις αὕτη, ἀλλ' οὐ χωριστά· περὶ τὸ χωριστὸν ἄρα ὂν, καὶ ἀκίνητον ἑτέρα τούτων ἀμφοτέρων τῶν ἐπιστημῶν ἐστί τις.. καὶ εἴπερ ἐστί τις τοιαύτη φύσις ἐν τοῖς οὖσιν, ἐνταῦθα ἂν εἴη που καὶ τὸ θεῖον, καὶ αὕτη ἂν εἴη πρώτη, καὶ κυριωτάτη ἀρχή.. Βέλτιστον μὲν οὖν τὸ τῶν θεωρητικῶν ἐπιστημῶν γένος· τούτων δ' αὐτῶν ἡ τελευταία λεχθεῖσα, περὶ τὸ τιμιώτερον γάρ ἐστι τῶν ὄντων. βελτίων δὲ καὶ χείρων ἑκάστη λέγεται κατὰ τὸ οἰκεῖον ἐπιστητόν. *Physica quidem circa ea est, quæ motus principium in se ipsis habent; Mathematica vero speculativa quidem est, & ipsa circa manentia,* vel immutabilia occupatur, *non tamen separabilia.. Circa separabile igitur Ens, & immobile alia, præter has ambas, scientia quadam est.....&, si aliqua quidem talis in entibus natura sit, illic profecto divinitas erit, & hæc erit primum, & principale principium.... Optimum igitur speculativarum*

(a) *Metaphys. Lib.* 13. *cap.* 7.

rum quidem Scientiarum genus, horum vero ipsum ea est, quæ ultimo dicta est; etenim circa honorabilissimum entium est: unaquæque vero melior, aut deterior dicitur secundum proprium objectum, aut *scibile.*

XII. Ex ejusmodi vero Metaphysicæ objecto, fine, muneribus, ac natura, quæ hactenus à nobis exposita, vel demonstrata sunt, facile ipsius divisio, partium numerus, atque discrimina deduci poterunt. Itaque, cum Metaphysica communes Entis affectiones, adeoque incorporeas etiam substantias veluti objectum sibi propositum contempletur, tres in partes optime, accurateque distingui solet. Ipsarum prima Ὀντολογία *Ontologia*, sive Ὀντοσοφία *Ontosophia*, hoc est *Entis scientia* vocatur, adeoque Ens ipsum, & communes ipsius affectiones omnes exponit. Altera de creatis Spiritibus, præsertim vero de humanis animis, vel humanæ mentis substantia, viribus, attributis differit, adeoque Πνευματολογία *Pneumatologia*, sive *Spirituum scientia* dicitur; quamvis ab aliis Ψυχολογία *Psychologia*, hoc est *Animi scientia* vocetur, & à Philosophis aliis Νοολογία *Noologia*, sive *Mentis scientia*, præsertim vero *Intellectus humani* cogni-

tio-

tio dicatur: quod altera nimirum mentis humanæ potentia, sive *voluntas*, ejusque affectiones, & actus fusius, atque opportunius in *Ethica* demonstrentur. Tertia denique Metaphysicæ pars Deum ipsum, ejusque existentiam, naturam, atque attributa singula solo rationis lumine, sive creatæ naturæ viribus contemplatur, adeoque Θεολογία *Theologia naturalis* vocatur. Nonnulli tamen Metaphysicam ipsam duas solum in Partes dirimunt, *Ontologiam* scilicet, ac *Pneumatologiam*; cum in altera Metaphysicæ Parte de creato simul, atque increato Spiritu differant, adeoque in illa singula Spirituum genera complectantur; quæ tamen ita concinnius atque accuratius sejungi poterunt, ut prius de creatis, finitisque Spiritibus, deinde vero de infinito, & Increato Spiritu, de ipso nimirum Deo, disseratur. Denique Volfius, aliique plures peculiarem quandam, distinctamque Metaphysicæ Partem *Cosmologiam*, *Cosmosophiam*, sive *Cosmogoniam* appellant; quod ipsa nimirum prima substantiarum genera, adeoque primas communesque partium illarum affectiones exponat, quibus adspectabilis Universi partes, vel Mundus ipse componitur, ut *Tempo-*

vis, *Spatii*, *Motus*, *Materiæ* naturam, atque attributa, quæ ipsorum singulis inesse possunt. Hæc omnia tamen facile in Prima Metaphysicæ Parte exponi, sive ad *Ontologiam* referri poterunt; adeoque triplex illa Metaphysicæ Facultatis divisio superius instituta veluti clarior, longeque commodior à nobis eligetur.





METAPHYSICÆ

PARS PRIMA,

SIVE

ONTOLOGIA.



Ingulas Metaphysicæ Partes ordine superius exposito tradituri ab illa nunc exordimur, quæ græco nomine Οντολογία *Ontologia*, vel *Entis scientia* dicitur: illa nimirum, quæ Ens ipsum in genere, in abstracto, sive in communi considerat; hoc est Ens ipsum à circumstantiis, subjectis, ac differentiis omnibus secretum contemplatur, ut ex universali hac Entis idea, vel cognitione, cujuslibet peculiaris entis cognitio, quæ in variis disciplinis aliis inquiritur, clarior, atque accuratior oriatur. Itaque hæc prima Metaphysicæ Pars ceteris quidem disciplinis omnibus aditum præbere, ac facem veluti præferre dicitur; sed ab iis tamen perspicue, accurateque distingui debet. Etenim, ut optimè ait Aristoteles, (*a*) Ontologia ἐστιν ἐπιστήμη τις,

(*a*) *Metaphys. Lib. IV. cap.* 1.

τις, ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὂν, καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό· αὕτη δ' ἐστὶν οὐδεμιᾷ τῶν ἐν μέρει λεγομένων ἡ αὐτή· οὐδεμία γὰρ τῶν ἄλλων ἐπισκοπεῖ καθόλου περὶ τοῦ Ὄντος ᾗ ὄν· ἀλλὰ μέρος αὐτοῦ τι ἀποτεμόμεναι θεωροῦσι περὶ τούτου τὸ συμβεβηκὸς, οἷον αἱ Μαθηματικαὶ τῶν ἐπιστημῶν. *Est scientia quædam, quæ speculatur Ens prout ens est, & quæ ei per se insunt. Hæc autem ab omnibus, quæ particulares* Scientiæ *dicuntur, diversa esse debet. Etenim ipsarum nulla universaliter de ente, prout ens est, considerat: sed ejus aliquam partem abscindens quod ei accidit speculatur, ut Mathematicæ Scientiæ.* Exinde verò, Aristotele ipso duce, observari facile poterit quod in ejusmodi Metaphysicæ Parte maxima subinde difficultas, simulque tamen certitudo maxima reperitur. Etenim (a) σχεδὸν καὶ χαλεπώτατα γνωρίζειν τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ τὰ μάλιστα καθόλου· πορρωτάτω γὰρ τῶν αἰσθήσεών ἐστιν· ἀκριβέσταται δὲ τῶν ἐπιστημῶν αἳ μάλιστα τῶν πρώτων εἰσίν. *fere difficillima cognitu sunt hominibus illa, quæ maxime universalia sunt; à sensibus enim remotissima sunt. Scientiarum autem illæ certissimæ sunt, quæ maxime primorum sunt.* Singula tamen Ontologiæ capita meliori, quo poterit, ordine, & perspicuitate ita complectemur, ut initio quidem de *Entis* nomine, natura, variisque ipsius divisionibus, & affectionibus disseramus; deinde verò de variis Entium quorundam generibus, ipsorumque discrimine loquamur, singula demum Entis attributa, vel nomina exponamus, quæ entibus ipsis inesse possunt, aut in iis concipi solent, si cum aliis entibus conferantur.

CA-

(a) *Lib. I. cap. 2.*

CAPUT I.

De Ente.

I. QUidquid ab intellectu nostro percipitur, quidquid existere, intelligi, vel esse potest, quidquid etiam intelligi, existere, sive produci non potest, amplissimo, communi, vel universali *Entis* nomine designatur; nihilque de re concepta affirmari, sive negari unquam poterit, quin prius hæc *Entis* idea in nobis excitetur, quæ communis adeo, vaga, atque indifferens sit, ut ad infinita fere Entium genera diffundatur, adeoque singula, atque suprema quoque Entium genera in hac amplitudine complectatur. Hinc, ut amplissima hæc *Entis* idea, atque infinita propemodum ipsius extensio facilius percipiatur, suprema entium genera nunc observari, sive prima Entis ipsius divisio proponi debet; cum præsertim plurima ex ejusmodi entium divisione, sive discrimine deduci soleant, quæ in reliquis Metaphysicæ partibus exponi debent.

II. Itaque primum Ens illud, quod ab intellectu nostro concipitur, ita distingui poterit, ut aliud quidem *reale*, aliud vero *rationis* dicatur. Ens *reale* vocatur illud, quod ab intellectu nostro cognoscente, vel à perceptione nostra non pendet; ideoque extra mentem ipsam existere, sive produci potest, ut *lapis*, *albedo* &c. Sin verò aut illud à nobis perceptum in ipsa solum intellectus perceptione positum sit, ab illa ita pendeat, ut sine intellectu cogitante existere, concipi, sive produci non possit, tunc ens *rationis* vocatur, ut *syllogismus*, *definitio*, *ideæ*, aliaque id genus intellectus cogitantis opera, sive perceptionum nostrarum genera, quæ ab

intellectu solo producuntur, in illo remanent, neque sine intellectu cogitante ullibi existere, vel esse possunt; quamvis eadem, si in seipsis spectentur, vere ab intellectu produci, mentem afficere, vereque in illa existere concipiantur; adeoque hoc sensu *realia* quædam entia vocari, totidemque in classes distingui illa possint, quot varia cogitationum, vel idearum nostrarum genera distingui possunt, ut in Logica demonstratur.

III. Ens vero *reale* ita supremas veluti in partes distingui poterit, ut aliud quidem *substantia*, vel *res*, aliud vero *accidens*, vel rei *modus*, dicatur. Substantiæ nomine designatur ens illud, quod existere, concipi, sive produci potest independenter ab alio, nihilque prorsus requiritur, ut illud existere, vel produci possit, quam caussa, à qua producatur. Ita *Sol*, *lapis*, *homo*, *Pythagoras* &c. substantiæ vocantur, quod ipsorum singula accurate concipi, existere, vel esse possint, quamvis nulla prorsus entitas alia existere concipiatur. Accidentia verò, seu modi vocantur entia illa, quæ existere, produci vel conservari non possunt, nisi substantiæ cuidam inhæreant, quam *afficere*, vel *modificare* dicuntur; adeoque ne quidem ab intellectu nostro concipi perfecte possunt, nisi ad substantiam ipsam veluti subjectum referantur, in quo subsistant. Ita *motus* sine re mobili, *cogitatio* sine re cogitante, *figura* sine corpore figurato, *quantitas*, & *extensio* sine substantia extensa haberi non poterit; ipsorumque singula accurate percipi, vel explicari non possunt, nisi ad substantiam illam referantur, quam afficere, vel modificare concipiuntur, eaque sublata interire, vel auferri videntur.

IV. Altera quoque suprema, ac veluti prima

ma Entis ipsius divisio ita fieri, proponique poterit, ut Ens ipsum, sive substantia, sive accidens, sive reale, sive rationis sit, aliud *existens*, aliud *præteritum*, aliud *futurum*, aliud *possibile*, aliud denique *impossibile*, sive *repugnans* dicatur.

Ens existens vocatur illud, quod nunc temporis in rerum natura, hoc est in productorum entium numero, serie, sive compage reperitur: illud nimirum, quod ex nihilo jam eductum, suisque à caussis productum fuit.

Præteritum vero dicitur illud, quod, quamvis nunc interierit, neque amplius existat, aliquando tamen existens fuit; hoc est, existentium instar, suis à caussis productum fuerat.

Futurum vocatur ens illud, quod, quamvis nondum existentiam illam acceperit, sive nondum ex nihilo, suisque ex caussis productum fuerit, aliquando tamen existentiam illam est habiturum, adeoque produci debet; cum caussa reperiatur, quæ ipsi producendo par esse possit, simulque disposita, vel determinata jam fuerit ad operandum.

Possibile est illud, quod, quamvis existere, sive produci non debeat, nullam tamen contradictionem, vel repugnantiam in se continet ut existere, sive produci possit; adeoque, existentium, vel futurorum instar, existere producique posset, si caussa quædam ipsi producendo par foret, aut ipsi producendo disposita, sive determinata reperiretur.

Impossibile denique, contradictorium, sive repugnans vocatur Ens illud, quod si fortasse temere ab intellectu nostro conceptum fuerit, repente quoque intelligitur illud existere, sive produci non posse, sed intrinsece potius repugnare: cum attributum unum in ipso perceptum alteri repugnare, attributum unum

ab alio destrui videatur: ut, si triangulum quatuor lateribus compositum, circulus inæqualibus radiis præditus, totum aliqua sui parte minus concipiatur.

Itaque cum *Ens* a Grammaticis, simulque Metaphysicis definitur *id, quod est*, non ita sumitur *esse*, ut *existere*, vel *existentiam* significet, adeoque iis solum entibus, vel objectis illis conveniat, quibus existere, sive produci contigerit; sed ita potius *Entis* nomen accipitur, ut illa quoque complecti, vel exprimere perfecte possit, quæ existere, vel non existere fortasse possint: ut proinde communis illa *Entis* idea tum existentibus, tum præteritis, tum futuris, tum possibilibus, tum repugnantibus etiam, vel impossibilibus rebus conveniat.

V. Aliquando tamen hæc *Entis* idea, vel *Entis* nomen *existentibus* solum rebus, vel objectis tribuitur, ut illa à præteritis, futuris, possibilibus, vel impossibilibus distinguantur; quandoquidem illa, si cum existentibus conferantur, veluti purum *nihil*, sive *non-entia* concipiuntur.

Interdum etiam hoc *Entis* nomen non omnibus entibus, ac objectis illis, quæ producta jam fuerint, atque *existentia* sint, sed *substantiis* solum, concedi solet; quod illæ nimirum, si cum accidentibus comparentur, quibus substantiæ præditæ, vel affectæ sint, nobiliori quodam existentiæ genere præditæ fuerint, quippe quæ in seipsis independenter ab alio subsistant.

Denique tum à Platone, (*a*) tum à pluribus etiam Philosophis aliis emphasi, antonomasia, vel excellentia quadam *Entis* nomi-

(*a*) *In Theat. & Timao.*

mine Deus ipse intelligi vocarique solet: quod ille nimirum puriori, perfectiori, atque infinito prorsus essentiæ, vel existentiæ genere fruatur; existentiam illam à nullo receperit, sed necessario perfectissimeque existat; ipsius essentia ab existentia non distinguatur; quæcumque demum ab illo creata fuerint, sive produci etiam possint, si cum illo conferantur, potius *non esse*, quam *esse*, videantur; adeoque potius *nihil*, quam *ens*, appellari illa possint.

Hinc in Sacris Literis (*a*) Deus ipse de se dixit: *Ego sum ens*; sive, ut latine redditur, *Ego sum qui sum*: perinde quasi hebraica vox *Jehovah*, græca *ὄν*, latina *Ens* Deo soli convenire, ipsumque exprimere, vel definire, à ceteris entibus aliis distinguere perfecte possit. (*b*) De creatis verò rebus dicitur: (*c*) *Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo; & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt*: perinde quasi entitas illa, quæ creatis rebus inesse concipitur, si cum infinita Dei substantia conferatur, evanescere, nihilque prorsus esse videatur.

VI. Ceterum, si peculiares illæ dicendi formulæ, seu phrases à Sacris Litteris, atque à Philosophis usurpatæ reponantur, *Entis* idea nullis omnino rerum finibus circumscribitur, sed infinita prorsus extensione vel amplitudine quodlibet entis genus ita complectitur, ut in ipsorum singulis concipi, omnibus inesse, de omnibus affirmari perfecte possit. Quin etiam licet aliqui existiment *Entis* ideam non *univoce*, eadem nempe ratione, vel modo, sed *analogice* solum, hoc est

(*a*) *Exod. cap. 3. v 14.*
(*b*) *Vid. Petav. Theol. Dogm. Lib. 1. cap. 6.*
(*c*) *Isai. cap. 40.*

est proportione quadam, & similitudine Deo, & creatis rebus, itidemque substantiæ, & accidenti convenire posse, quemadmodum prorsus *vitæ* nomen aut idea *aeri*, *charitati*, *aquæ*, *animali* tribuitur, verisimilius est tamen quod communis ille *Entis* conceptus univoce prorsus objectis illis conveniat; hoc est *entis* idea, entisque nomen una prorsus eademque ratione, vel sensu tum Deo, & creatis rebus, tum substantiæ, & accidenti tribuatur. Siquidem discrimen illud, atque infinita varietas, qua Deus ipse à creatis rebus distinguitur, non ab ipsa *Entis* idea, sive conceptu, sed ab attributis, ac perfectionibus illis oriri debet, quæ in Deo, non autem in creatis rebus, reperiuntur: quemadmodum prorsus discrimen, quo substantia ab accidente, sive res à modo distinguitur, à differentiis illis, vel attributis exoritur, quæ substantiæ solum, non accidenti, conveniunt: adeoque, si *Entis* idea à differentiis, attributis, ac perfectionibus illis abstracta, accurateque sejuncta fuerit, omnino simplex, eadem, indivisibilis est futura; ut proinde in subjectis omnibus eadem; atque univoca censeri illa debeat, ut in Logica demonstratur.

VII. Illud unum coronidis loco subjecisse nunc libet, quod communis illa *Entis* idea indifferens adeo, vel universalis esse concipitur, ut non modo singula entium genera superius exposita complectatur; verum etiam ipsi quoque *nihilo* adscribi illa soleat: perinde quasi *nihilum* veluti quoddam *entis* genus haberi, vel entis instar concipi consueverit. Etenim ubi *nihil* ipsum à nobis concipitur, entis alicujus idea in nobis excitatur, simulque tamen ejusdem entis *carentia*, sive *privatio* percipitur. Ita, si dixerim spatia, quæ extra Universi fines concipimus, ac *imaginaria*.

ria.

ria vocantur, esse *nihil*, spatia ipsa, sive *nihilum* illud *entis* alicujus instar concipio, simulque tamen intelligo ibi nullum *ens* reperiri. Itaque *nihili* conceptus; aut idea ex utraque tum *entis*, tum *privationis* idea resultat, ipsisque una permixtis componitur; quamvis una alteri perspicue opponatur, ipsamque destruat: quemadmodum prorsus, ut in Logica demonstratur, plurima velut entia quædam aut *positivæ* rerum affectiones concipi solent, quæ tamen nihil sunt aliud, quam meræ entium quorumdam ipsis oppositorum *privationes*, purumque *nihil*. Ita *peccatum*, *mors*, *quies*, *tenebræ*, aliaque id genus plurima ita à nobis concipiuntur, perinde quasi *gratiæ*, *vitæ*, *motus*, ac *lucis* instar *entia* forent, vereque illarum instar in substantiis existerent; cum tamen peccatum gratiæ, mors vitæ, quies motus, tenebræ lucis *privatio* sint, neque communi illo *entium realium* nomine sive conceptu comprehendi possint; sed *nihil* potius censeri, aut *privationis* nomine vocari illa debeant.

VIII. Exinde vero, hoc est ex nitida distinctaque tum *entis*; tum *nihil*, sive *non-entis*, vel *privationis* idea superius exposita axiomatis illius sive principii veritas maximumque robur inferri debet, quod *Principium contradictionis* vocatur: quod nempe *Idem non potest simul esse, & non esse*: Etenim, si *entis*, simulque *non-entis* idea unà conferantur, una alteri perspicue adversari, una aliam excludere, simulque vicissim ab illa destrui concipitur; adeoque ipsarum utraque simul componi, idemque simul esse, ac non esse non potest. Hinc Aristoteles (a) prin-

(a) *Metaph. Lib. IV. cap. 4.*

principium illud exponens ait ὅτι βεβαιότη αὕτη τῶν ἀρχῶν πασῶν *certissimum hoc cunctorum principium est*. Cartesius (*a*) huic uni veluti perspicuo, certissimoque principio propositionum omnium veritatem innixam esse putavit; denique ex hoc ipso *Contradictionis Principio* veluti fonte uberrimo universarum fere cognitionum nostrarum seriem ipsarumque veritatem profluere Volfius (b) existimavit; adeoque subtiliter, accurateque leges illas exposuit, quibus aliqua propositio alteri *contradictoria* esse possit, ut ex unius veritate alterius falsitas inferatur. Sed hæc, aliaque id genus fusius, atque opportunius in Logica ostendi solent, ubi *contradictionis* indoles, characteres, & leges accuratissimè exponi debent.

CAPUT II.

De proprietatibus Entis, Unitate, Veritate, ac Bonitate.

I. Cum *Entis* idea; sive conceptus communis adeo indifferens, ac universalis sit, ut nullis omnino differentiis, rerumque terminis circumscribatur, sed fines omnes excedens ad singula Entium genera diffundatur, singulæ quoque affectiones illæ, attributa, vel proprietates, quæ huic Enti conveniunt, amplissimæ nimirum, abstractæ, communique Entis ideæ conjungi, vel inesse concipiuntur, fines omnes excedere, sive *trascendere* existimantur; ideoque *transcendentales* vocantur, ut à *categoricis* attributis illis

(*a*) *Medit.* I.
(*b*) *Ontolog. Part.* I. *Sect.* I. *cap.* I.

illis distinguatur, quæ peculiaribus solum entis generibus inesse debent; iis nimirum entibus, & objectis solum conveniunt, quæ in certo quodam distinctoque entis genere, sive *categoria* continetur.

II. Ejusmodi verò *transcendentales* Entis proprietates tres à Philosophis distingui solent, *Unitas*, nempe, *Veritas*, ac *Bonitas*, de quarum singulis hic ordine disseretur.

Unitas Entis nihil est aliud, quam carentia, sive *privatio divisionis*; neque alia de causa conceptus *Entis* unus, & simplex vocatur, nisi quod ille varias in partes dirimi, sive distingui non potest; nec ens aliquod à nobis perceptum *unum* vocatur, nisi quod illud in seipso indivisum, atque a ceteris entibus distinctum concipitur. Quamvis autem *unitas* ipsa, quæ in Ente concipitur, *negative* solum exprimi, vel definiri convenerit; ipsa tamen in se *positiva* quædam perfectio, verusque entis modus haberi debet, quo ens ipsum accurate in se simplex, & ab entibus aliis distinctum efficitur; quemadmodum prorsus plurimæ affectiones aliæ, ut *immortalitas*, *impenetrabilitas*, quamvis ubi definiri illæ debeant, *negative* solum exprimantur, *positive* tamen censeri debent, ut opportunius in Logica observatur.

III. Itaque, cum *Unitas* sit *carentia divisionis*, vel distinctioni opponatur, totidem unitatis genera distingui poterunt, quot sunt divisiones ipsæ, vel distinctionis genera, quæ in duobus entibus à nobis perceptis inesse possunt, distinctio vero, varietas, atque divisio, quæ duobus entibus inter se comparatis inesse potest, alia *generica*, alia *specifica*, alia *numerica* vocatur.

Generica distinctio dicitur illa, quæ reperitur in entibus, quæ sub diverso, distinctoque genere continentur, ut inter *circulum*,

& *lineam*: circulus enim sub *figuræ*, linea vero sub *longitudinis* genere collocatur.

Specifica vero vocatur illa, quæ reperitur in entibus, quorum utrumque sub uno eodemque genere collocatur, sed ad diversas tamen *species* referri illa debent: ut inter *circulum*, & *triangulum*, qui sub uno eodemque *figura* genere continentur, sed varias tamen, distinctasque figuræ *species* constituunt. Sic inter *hominem*, ac *leonem* distinctio *specifica* reperitur; cum uterque sub *animalis* genere collocetur, sed ad diversas tamen animalis *species* referantur.

Numerica demum distinctio censetur illa, quæ reperitur inter *individua* ejusdem speciei; illa nimirum, quæ quamvis sub uno eodemque genere, simulque specie collocata sint, à circumstantiis tamen, vel affectionibus singularibus ita distinguuntur, ut unum cum altero confundi non possit, ut *Socrates* à *Pythagora*, *circulus A* à *circulo B*.

IV. Atque ex ejusmodi quidem varietatis, differentiæ, vel distinctionis generibus illa, quæ *generica*, & *specifica* fuerit, oriri concipitur ab essentia ipsa; nimirum à differentia, qua ens unum ab alio, veluti intrinseco principio, charactere, sive discrimine, componi, atque à ceteris entibus omnibus distingui debet; ut illa proinde, quæ *genere*, vel *specie* differant, variam quoque naturam, atque essentiam habere dicantur. Numerica verò, singularis, vel individualis distinctio à singularibus circumstantiis, & affectionibus illis exoritur, quæ quamvis essentiam minimè constituant, ita tamen huic enti, vel individuo conveniunt, ut omnes unà conjunctæ alteri subjecto inesse, vel convenire non possint; adeoque subjectum ipsum, sive naturam illam prorsus *individuam*, alteri nimirum incommunicabilem efficiunt.

Ea-

Facile verò intelligi, deprehendique poterit quod ejusmodi distinctionum genera tum *substantiæ*, tum *accidenti* communia esse debent; cùm accidentia ipsa, substantiarum instar, aut *genere*, aut *specie*, aut solum *numero* differre possint: ut inter *odorem*, ac *motum* generica; inter *albedinem*, ac *nigredinem* specifica; inter hujus, alteriusque corporis albedinem numerica solum varietas, atque distinctio reperiatur.

V. Quandoquidem vero substantiæ ipsæ ab accidentibus distingui debent, alia distinctionis varietas admitti solet, quæ ex ipsa substantiarum, ac modorum indole pendere debeat; ut alia nimirum distinctio *entitativa*, alia *modalis*, alia *virtualis* dicatur.

Entitativa distinctio vocatur illa, quæ reperitur inter varias res, quarum entitates ita variæ, distinctæque sint, ut una ab alia separari, una sine alia existere, una denique sine altera concipi perfecte possit; ut inter *lunam*, ac *solem*: *hominem*, ac *lapidem*.

Modalis vero dicitur illa, quæ reperitur inter rem, & modum rei, hoc est inter substantiam, & accidens. Etenim modus ipse, vel accidens à substantia separari, sine illa existere, vel accurate concipi non potest; adeoque non *entitas* quædam ab entitate substantiæ distincta, sed alterius solum entitatis affectio, censeri poterit.

Virtualis demum distinctio, quæ tamen accurate potius distinctionis caussa, & origo censeri, quam vera distinctionis species vocari potest, est illa, quæ ab intellectu nostro concipitur in aliqua re, quæ, quamvis unica, & simplex in se sit, pluribus tamen æquivalet, adeoque occasionem præbet intellectui ut in illa plures veluti partes invicem distinctas concipiat. Sic in homine *animalitas à rationalitate* distingui solet; in auro

nu-

numero decem librarum singulas fere decem libras veluti distinctas percipimus, in Deo, ejusque attributis distinctionem aliquam inesse concipimus, perinde quasi Deus ipse à suis perfectionibus, sive attributum unum ab alio distingueretur; cum tamen in Deo nulla partium varietas, distinctio, vel compositio admitti possit; sed quidquid in illo concipitur Deus ipse sit, atque ab ipsa Dei natura, & essentia nullo discrimine distinguatur.

VI. Præter ejusmodi varietatis, aut distinctionis species, quæ à Philosophis omnibus admitti solent, plurimi sunt, qui subtilius adhuc alterius distinctionis genus enumerant, quæ *formalis* vocatur; quod illa nimirum inter varias perfectiones, attributa, sive *formalitates* illas concipiatur, quæ in ipsa re concepta reperiuntur, ut ab illa separari, mutuo sejungi, una sine altera produci non possit. Ita *genus*, ac *differentia*, quibus veluti partibus *essentia* componitur, ejusmodi distinctionis *formalis* genere distingui dicuntur: quod illæ neque entitates aliquæ, neque entitatis alterius modi, vel accidentia esse possint; sed intrinsecæ potius formæ quædam, aut formalitates sint, quæ nitide, accurateque in essentia ipsa, vel re concepta distingui debent; unde distinctio ipsa *formalis, actualis ex natura rei* vocatur quod ab intellectu nostro non pendeat, semper in ipsa re reperiatur, atque ab ipsius natura oriatur. Plerique tamen hoc aliud distinctionis genus in creatis præsertim rebus prorsus inutile existimant, cum distinctio illa, quæ inter varias essentiæ partes, rerum formas, atque ut ab iis vocantur, *gradus metaphysicos* intercedit, *virtualis* solum censeri possit, ut in exemplis superius expositis apparet.

VII. Ce-

VII. Ceterum ex quatuor istis distinctionis generibus, entitativa, simulque modalis etiam distinctio *realis* vocatur quod ab intellectu non pendeat, sed in objectis ipsis existat; adeoque in seipsis diversa, sive distincta illa sint. Sin vero varietas ipsa, sive distinctio, quæ in objectis concipitur, non in rebus ipsis existat, sed ab intellectu solo oriatur, tunc illa distinctio *rationis* vocatur, ut cum *divinitas* ab ipso *Deo*, *humanitas* ab *homine* distingui solet. Ita *virtualis* ipsa distinctio ad distinctionem *rationis* revocari facile poterit, *formalis* autem inter utramque, *realem* scilicet, ac *rationis* intercedere existimatur, ut hac quidem major, illa vero distinctione minor dicatur.

VIII. Quandoquidem ergo singula varietatis, differentiæ, vel distributionis genera unitati opponuntur, atque unitas ipsa, quæcumque illa fuerit, ac in re concipiatur, alicui distinctioni contraria esse debet, ubi singula distinctionis genera observata jam fuerint, quæ in objectis illis appareant, quæ à nobis percipiuntur, atque inter se comparantur, facile quoque ex unitatis specie agnosci, vel definiri repente poterit, quæ in duobus entibus à nobis perceptis regitur. Itaque, cum in Entis conceptu nulla prorsus partium varietas, neque distinctio reperiatur, unitas illa, quæ huic Enti conveniet, omnium maxima, & perfectissima censeri debet. Sin verò quodlibet ens aliud concipiatur, atque cum aliis entibus conferatur, partim cum illis conveniet, partim etiam discrepabit; adeoque in illa partim *unitas*, partim *distinctio* percipietur, ut in exemplis illis superius expositis apparet.

IX. Quod si in duobus entibus, aut ideis, quæ ab intellectu nostro perceptæ fuerint, nulla prorsus varietas, atque distinctio reperia-

riatur, unitas illa, quæ in ipsis concipitur, *identitas* appellatur; ut inter *triangulum*, ac *figuram tribus lateribus circumscriptam* identitas esse concipitur. Ita, si ens aliquod in certo quodam entium genere concipiatur, *unum* dicetur; sin vero in eodem ipso entis genere nullum ens aliud ipsi simile reperiatur, tunc *unicum* vocari solet, ut *unicus* filius vocatur ille, qui fratribus careat.

X. Observari denique poterit quod ens aliquod interdum *unum* vocatur, quod omnino simplex, & incompositum sit, adeoque unitas illa ex *simplicitate*, veluti fonte, pendere debet. Aliquando vero unitas ipsa ex partium *unione*, sive *compositione* resultat, qua partes ipsæ ita conjunctæ connexæque sint, ut subjectum *unum* efficiant. Ejusmodi vero compositum variis ex partibus una conjunctis formatum aliquando dicitur ens *unum per se*, aliquando vero ens *unum per accidens*. Si partes illæ, quibus ens ipsum componitur, suapte natura comparatæ sint ut ens illud constituant, tunc *unum per se* vocatur: ut variæ partes, quibus humanum corpus componitur. Sin vero partes illæ temere solum, fortuito, & contingenter una conjunctæ fuerint, *unum per accidens* appellatur, ut *exercitus*.

XI. Altera communis, & transcendentalis Entis affectio, sive proprietas dicitur *Veritas*. Etenim cum quodlibet ens, sive possibile, sive impossibile, sit, ab intellectu cognosci, vel cognitionis objectum esse possit, quidquid autem ab intellectu percipitur, ipsique cognoscenti veluti objectum proponitur, *verum* dicatur, *veritas* ipsa singulis omnino entium generibus ita conveniet, ut universali, communique *entis* ideæ arctissime conjungatur. Itaque veritas ipsa nihil est aliud, quam ens ipsum, ut ab

intel-

intellectu nostro, sive divino concipitur: cumque plurima, ac infinita fere entium genera cognosci possint, ipsorum singula suam veritatem habere debent, iisque imaginibus, & archetypis ideis illis accuratissime respondent, quæ in divina mente reperiuntur. Ejusmodi autem veritas, quæ entibus, & objectis omnibus inesse debet, *objectiva* vocatur: unde, quemadmodum entitas ipsa, vel archetypa divinæ mentis imago variari non potest, ita quoque metaphysica, transcendentalis, & objectiva veritas alterari, sive mutari non poterit; ut ens ipsum aliquando *verum*, aliquando *falsum* dicatur. Fieri tamen subinde poterit, ut, si cognitio nostra cum ente cognito conferatur, aliquando quidem ipsi conveniens, aliquando vero repugnans sit, adeoque aliquando *vera*, aliquando *falsa* dicatur. Hæc altera veritatis species, quæ non in objecto cognito, sed in intellectu cognoscente, reperitur, *formalis* vocatur: quamvis illa ex objecto cognito, sive objectiva veritate pendere debeat juxta celebre effatum illud; *Ex eo quod res est, vel non est, perceptio, vel propositio dicitur vera, vel falsa*. Itaque veritas ipsa formalis ita variari subinde poterit, ut cognitio nostra vel vera, vel falsa esse possit; & interdum una eademque propositio, si de re mutabili formata fuerit, aliquando vera, aliquando falsa esse potest, ut opportunius in Logica demonstratur.

XII. Quæcumque vero de *objectiva*, simulque de *formali* Veritate jam diximus, de tertia quoque Entis affectione, vel attributo observari, vel intelligi profecto poterunt, nimirum de *Bonitate*; nisi quod *veritas* ad *intellectum*, ejusque cognitionem, *bonitas* autem ad *voluntatem*, ejusque amorem referatur. Itaque cum quidquid est *ens*, verique

entis

entis instar concipitur ab aliqua causa, vel saltem à Deo produci, adeoque ab illo diligi, probarique possit, perspicue apparet quod ens omne voluntatis objectum esse, ideoque *bonum* censeri poterit: ut proinde bonitas ipsa, quæ *objectiva* vocatur, unitatis, ac veritatis instar, entibus omnibus inesse, adeoque communis, & transcendentalis *Entis* affectio, sive proprietas haberi debeat. Bonitas autem illa nihil est aliud, quam ipsum ens quatenus ab aliqua voluntate diligi, vel amari potest; adeoque Bonitas ipsa, veritatis instar, alterari, mutarique non poterit, ut ens ipsum aliquando *bonum*, aliquando *malum* dicatur; sed ens omne, quodcumque fuerit, hac objectiva, vel intrinseca bonitate præditum esse debet. Itaque, cum quidquid ab ipso Deo producatur ens esse debeat, ipsique repugnet in operando vel à proposito fine, vel ab ipsa rei producendæ perfectione deficere; quidquid à Deo productum fuerit, ab ipso amabile, vereque bonum censendum erit, ut optime proinde in sacris Litteris de Deo dicatur (*a*) *diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*; cumque (*b*) *omnia per ipsum facta sint, & sine ipso factum sit nihil quod factum est*, dubitari certè non poterit quin creatæ res, quæcumque illæ fuerint, in se ipsis *bonæ* censeri, vocarique debeant. Peccatum verò à Deo neque diligi, neque probari, neque produci unquam poterit, cum peccatum ipsum non *ens*, sed *entis privatio*, sit; ipsumque non a *potentia* quadam, sed ab *impotentia*, oriatur: ab illa nimirum causa.

(*a*) *Sap. cap* 11. *v.* 21.
(*b*) *Joan. cap.* 1. *v.* 3.

sa producatur, quæ a fine sibi a natura proposito aberret, & effectum ipsum debita perfectione, vel ordine, vel honestate privatum producat. Itaque, cum humana voluntas ad *verum*, aut ad *apparens* bonum inflecti, a fine sibi a natura proposito deflectere, actum aliquem exerere, possit, qui legibus opponatur, adeoque debita rectitudine, vel honestate privatur, humanæ voluntatis actus aliquando *bonus*, aliquando *malus* dicetur; extrinseca nimirum, atque *formali* bonitate præditus, aut destitutus, esse illa poterit, quæ ex ipsa objecti amati natura, ex hominis indole, & statu, præsertim verò naturæ jure, ceterisque legibus oriatur. Etenim, si actus ipse, qui à nobis exeritur, sepositis legibus, atque moralis bonitatis caussa, & origine, in se concipiatur, semper *ens* aliquod, adeoque physice *bonum*, esse debet: unde non ab homine solum, sed ab ipso quoque Deo, veluti prima supremaque entium omnium caussa, producetur.

CAPUT III.

De essentia, existentia, & subsistentia.

I. QUemadmodum in *Entis* idea, sive conceptu, quamvis ille maxime simplex, & incompositus sit, *unitas* tamen, *veritas*, ac *bonitas*, distingui facile poterit; ita quoque si conceptus ille ad varia entium genera referatur, hoc est ens ipsum in variis veluti statibus concipiatur, exinde facile novæ affectiones aliæ, vel attributa orientur, quarum ope, veluti discrimine, vel charactere quodam ens unum ab alio distinguatur. Ejusmodi certe sunt *essentia*, *existentia*, *subsistentia*, de quarum singulis clariori quo poterit ordine nunc differetur; cum

cum præsertim ex attributis illis, ipsorumque legibus plurima in disciplinis omnibus usurpata dimanent.

II. Essentiæ nomine intelligi, vocarique solet *id, quod intrinsece ens aliquod constituit*, adeoque in illo veluti primum, aliorumque attributorum omnium fons, & origo concipitur; illud nimirum, quo ens ipsum est id, quod est, ut aliud esse non possit; sed ejusmodi potius essentiæ, sive principii vi à ceteris entibus omnibus accuratissime distinguatur. Ita radiorum omnium æqualitas *circuli* essentia vocari, censerique solet; neque enim circulus ipse alia de caussa *circulus* esse concipitur, vel intrinsece ab omnibus figuris aliis distinguitur, nisi quod ille radios omnes invicem æquales habeat. Hominis essentia vocatur principium illud, quo homo intrinsece redditur *homo*, trianguli essentia in hoc uno posita reperitur quod sit figura tribus lineis, sive lateribus circumscripta; Siquidem ubi principium illud in *circulo*, *homine*, *triangulo* nitide accurateque perceptum fuerit, circulus ipse, homo, triangulum nitide accurateque concipitur esse quod est, atque à ceteris entibus aliis intrinsece, ac necessario distinguitur.

III. Itaque essentia quælibet ex principiis omnibus, vel attributis illis exoritur, quæ rei *intrinseca*, vel *essentialia* dicuntur; iis nimirum, quæ ita rei conveniunt, ut, si ipsorum aliquod auferatur, illa quoque res omnino auferri, vel destrui videatur; sin vero illa posita, simulque conjuncta concipiantur, ipsa quoque res constituta, vel repente posita concipiatur. Ejusmodi vero principia, vel attributa rei essentialia, ac intrinseca ita distingui solent, ut aliud quidem *genus*, aliud vero *differentia* dicatur; cum res, & essentia quælibet ita duabus veluti par-

partibus componatur, ut alia quidem pluribus etiam entibus aliis conveniat, ideoque *genus*, ſive attributum *eſſentiale genericum* appellatur, altera vero huic uni rei, vel eſſentiæ conveniat, ipſamque diſcriminis, & characteris inſtar ab aliis diſtinguat, adeoque merito *differentia*, ſive attributum *eſſentiale diſtinctionum* vocatur. Id certe fuſius, atque opportunius in Logica oſtendi debet, ſatiſque perſpicue in ſuperioribus exemplis apparet: cum *circuli* eſſentia ex *figura*, ſimulque *radiorum æqualitate* reſultet: circulus autem ipſe *figuræ* nomine atque attributo cum *quadrato*, *triangulo*, aliiſque pluribus conveniat, ab iiſque tamen *radiorum æqualitate*, veluti diſcrimine, ſecernatur.

IV. Quandoquidem ergo nitida, & accurata rerum eſſentia non ex unico, ſed ex attributis omnibus unà conjunctis, exoritur, quæ ipſi rei intrinſeca, & eſſentialia fuerint; intima rerum indoles, atque natura plerumque nobis incognita, vel obſcura eſſe ſolet, cum alterutrum ex principiis, vel attributis illis ab intellectu noſtro concipi, vel explorari non poſſit. Hinc eſſentiæ ipſæ obſcuris plerumque, & confuſis ideis percipiuntur, obſcuris etiam, ambiguis, confuſiſque vocibus exprimuntur; unde maxima errorum ſeries, aut opinionum varietas oriri ſolet; quæ tamen facile dirimi vitarique poſſet, ſi entis idea nitidà, atque accurata conciperetur; id, quod obſcurum fortaſſe fuerit ac incertum, à perſpicuo certoque ſecernatur; & definitiones omnes, quæ exprimendis explicandiſque rerum eſſentiis inſtitutæ ſunt, perſpicuis diſtinctiſque vocibus efferantur. Quod ſi attributa illa, quæ rebus intrinſeca, vel eſſentialia fuerint, à nobis intelligi, vel explorari non poſſint, ita es ipſa definiri, ſive deſcribi tunc poterit, ut



tur expositis, numeratisque pluribus ex affectionibus illis, quæ ipsi conveniunt, ex illis omnibus unà conjunctis ipsius indoles accurate exponi, atque à rebus aliis distingui possit.

V. Ceterum principium illud, quo intrinsece res constituitur, non *essentia* solum, sed interdum etiam *natura*, vocari solet; hoc uno tamen discrimine, quod ubi principium illud à nobis in re concipitur veluti fons, & origo, ex qua proprietates omnes, & affectiones illæ dimanant, quæ in ipsa fuerint, *essentia* dicatur; ubi verò concipitur tamquam caussa, fons, & origo operationum, quæ ab ipsa re producuntur, *natura* vocetur. Verum, cum *operari sequatur ad esse*, unus idemque censeri debet fons, ac principium, quo ens aliquod esse, simulque operari concipitur; adeoque *natura*, & *essentia* solo nomine distinguetur.

VI. Exinde vero jam facile intelligi, probarique poterit quod ejusmodi rerum natura, atque essentia semper eadem, constans, ac invariabilis esse debet, ut illa ne quidem ab infinita Dei potentia alterari, mutarique possit. Quamvis enim Cartesius, (*a*) aliique plures existiment intimas illas rerum essentias, reluctante licet intellectu nostro, à Deo variari mutarique posse, ut circulus angulis præditus, materia cogitandi capax, triangulum quinque lateribus compositum &c. producatur, quicumque tamen ejusmodi rerum ideas nitide, accurateque perspexerit, repente profecto intelliget id à Deo fieri, sive produci non posse. Quum enim *essentiæ* nomine intelligatur principium illud, quod dat

(*a*) *Respons. ad VI. Object. 5. 6. & 8.*

dat esse rei, ipsasque in certo quodam distinctoque entis genere constituit, fieri certe non poterit ut principium illud, vel constitutivum varietur, quin ipsa quoque res constituta, quæ hoc esse receperat, atque intrinsece ab illo determinata fuerat, alteretur. Ita si circulo radiorum æqualitas auferatur, circulus esse non poterit: si triangulum quinque lateribus efformatum temere concipiatur, non amplius *triangulum*, sed *pentagonum*, est futurum. Itaque poterit quidem Deus ens quodlibet à se productum destruere, singularem essentiam illam, quæ in ipso reperiebatur, in nihilum redigere, novamque prorsus essentiam aliam, adeoque novum ens aliud repente producere: sed efficere certe non poterit, ut, essentia veteri adhuc incolumi, novum ens producatur. Accedit etiam quod ens illud, cujus essentia variata foret, non amplius unica, sed duplici potius, distinctaque essentia constare deberet, quarum una alteram destruere cogeretur, adeoque simul esse, & non esse deberet, quo nihil absurdius magisque repugnans effingi potest: denique, ne argumentis aliis hic immorer, rerum *essentiæ* archetypis ideis illis, ac imaginibus respondere debent, quas ab æterno Deus in mente habuit, & ad quarum similitudinem res omnes produxit. Itaque sicut imagines illæ nitidæ, distinctæque esse debent, adeoque confundi, alterari, sive mutari non possunt; ita quoque rerum essentiæ, quæ distinctis ideis illis respondent, invariabiles esse debent.

VII. Quamvis autem Deus intimas illas rerum essentias invertere, sive mutare non possit, adeoque illa efficere, quæ *repugnantia*, vel *contradictoria* dicuntur, omnipotens tamen esse, vocarique ille poterit. Siquidem ut caussa quædam *omnipotens* sit, aut infinita

vi

vi prædita censeatur, id unum requiritur, ut infinita prorsus rerum genera, vel infinitos effectus producere repente possit. Itaque, cum effectus illi, qui *possibiles* sunt, nullamque repugnantiam continent, sint infiniti, si divina vis ac potestas ad ejusmodi solum possibiles, sive non repugnantes effectus extendatur, ipsisque producendis par esse possit, infinita censeri vocarique illa poterit; quamvis ad illa quoque non extendatur, quæ intrinsece repugnantia, contradictoria, vel impossibilia fuerint. Addi etiam poterit quod agendi vis infinita ad illa solum extendi debet, quæ vere *entia* fuerint; illa nimirum, in quibus vera, ac realis entitas esse possit, quæ veluti potentiæ terminus, ac effectus concipiatur. Sed effectus illi, qui *contradictorii* dicuntur, hoc est entia illa, quæ repugnantia, vel impossibilia dicuntur, *entia* non sunt, nec ulla vera, sive realis entitas illis inesse potest, cum ex *entis*, simulque *non entis* idea temere à nobis permixta oriantur, ergo vera, ac realis agendi vis, ac potentia repugnantes illos effectus producere, rerumque esentias alterare non poterit. Denique, ut opportunius alibi demonstrabitur, agendi vis, ac potentia, quæ in ipso Deo reperitur, non modo ex effectibus ipsis, ipsorumque dignitate, vel numero, sed ex ipsa quoque ratione deduci debet, qua res illas produxerit. Itaque, cum Deus omnia *ex nihilo*, sive *non ente* produxerit, idque sine infinita potentia peragi non possit, infinita ipsius potentia tum ex *possibilibus*, tum ex *creatis* etiam rebus manifestissime deduci potest; ut inutile proinde sit omnipotentiam ex *impossibilibus* etiam, vel repugnantibus rebus inquirere, ac demonstrare.

VIII. Illud etiam intelligi, vel inferri facile

esse poterit quod essentia ipsa, sive natura non modo *existentibus* omnibus, *futurisque* rebus conveniet, sed *possibilibus* etiam, sive non repugnantibus convenire debet. Quidquid enim ab intellectu nostro concipitur, quidquid existere, vel esse potest, quidquid intrinsece contradictionem ullam, aut repugnantiam non contineat, essentia sua, naturaque præditum esse debet; nec alia sane de caussa *possibile* censeri, vocarique solet, nisi quod in ipsius essentia rite percepta nulla repugnantia reperiatur. Itaque, cum infinita prorsus rerum genera, simulque in quolibet entis genere infinita prorsus individua esse possint, perspicue apparet quod essentia ipsa infinitis omnibus rebus possibilibus inesse debet.

IX. Quandoquidem vero ex infinitis entibus illis, quæ *possibilia* fuerant, aliqua reperiuntur aut esse possint, quæ suis à caussis producta, vel aliquando producenda sint, in ejusmodi rebus jam productis, aut producendis præter *essentiam*, quam possibilibus etiam rebus convenire posse jam diximus, nova quædam, ac distincta perfectio, novusque modus admitti debet, quo eadem entia ab entibus aliis mere possibilibus distinguantur. Ejusmodi nova perfectio, quæ in entibus jam productis resultat, ipsarumque essentiæ superadditur, vocatur *Existentia*, & à Philosophis optimè definitur *sistentia*, sive *positio rei extra nihil, & omnes caussas*.

X. Itaque dubitari non poterit quin in creatis rebus, quæcumque illæ fuerint, ipsarum *essentia* ab *existentia* distingui debeat. Etenim essentia ipsa entibus etiam mere possibilibus convenit, existentia vero iis solum, quæ producta, vel producenda fuerint. Rerum *essentia* invariabilis, ac immutabilis esse debet, ut certæ cuidam, distinctæque rei

certa quædam, ac distincta essentia necessario constanterque conveniat; *existentia* verò, si Deum unum exceperis, fortuito solum, & contingenter in rebus reperitur. Essentia denique iis in rebus accurate concipi, vel inesse debet, quæ adhuc in caussæ potentia continentur, nondumque ex nihilo, sive potentia caussæ eductæ fuerint; existentia vero iis solum entibus inesse, vel adscribi debet, quæ ex nihilo, sive caussæ potentia educta fuerint.

XI. Quamvis autem *essentia* ipsa ab *existentia*, quæ alterius perfectionis instar adjuncta illi fuerit, alterari non possit: sed in aliqua re, sive *possibilis* solum, sive *existens* illa sit, eadem prorsus essentia perseveret; ubi tamen essentia ipsa existentiam receperit, *singularis* efficitur, cum prius indifferens, ac *universalis* esse deberet. Etenim essentia illa, quæ producta jam fuerit, peculiaribus quibusdam circumstantiis admixta, sive conjuncta esse debet; adeoque in unico solum subjecto, vel individuo reperitur, ut alteri subjecto inesse, vel convenire non possit: ut essentia *hominis* in *Socrate*, natura *circuli* in *circulo B*. Sin vero natura ipsa ab existentia, hoc est a subjectis omnibus, abstracta concipiatur, quibus inesse vel convenire possit, ut essentia *circuli* a *circulis* omnibus, qui descripti, vel describendi fuerint, *hominis* natura ab *individuis* omnibus, quæ existentia, vel extitura unquam sint, tunc essentia ipsa prorsus unica, & indifferens esse poterit ut pluribus subjectis conveniat, adeoque *universalis* vocabitur. Itaque communis illa, vel universalis natura, quamvis a plurimis in individuis ipsis existens dicatur, perinde quasi in individuis delitesceret, & cum individuis, & singularibus naturis admixta foret; non alibi profecto existere, vel ad-

admitti illa debet, quàm in intellectu nostro, qui singularem essentiam aliquam uni subjecto illatam à circumstantiis omnibus, quibus adjuncta fuerat, *præcisionis*, vel *abstractionis* ope sejungit, ut omnino indifferens, & apta fiat ut alteri quoque subjecto, vel individuis omnibus inesse possit; cumque ab ejusmodi circumstantiis ita dividatur, ut essentia ipsa in pluribus individuis *multiplex* sit, ubi a circumstantiis ipsis abstracta jam fuerit, omnino *simplex*, atque unica censeri illa poterit, ut in Logica demonstratur.

XII. Denique præter *essentiam*, & *existentiam* ipsam, quæ tum in *substantiis*, tum in *accidentibus* etiam reperitur, cum accidentia ipsa, substantiarum instar, existere, sive produci possint, nova quædam affectio novusque modus in substantiis ipsis admitti debet, quo veluti charactere quodam, sive discrimine ab accidentibus distinguatur. Hæc nova perfectio, novusque modus, qui non *accidenti*, sed *substantiæ* solum, conveniat, vocatur *hypostasis*, vel *subsistentia*; ultima nempe perfectio, forma, vel actus, quo res, aut essentia quædam existens, ita perficitur, ut existere, conservari, vel operari possit independenter ab alio, ut in 1. Capite jam demonstravimus, ubi de substantiæ, modique discrimine loquebamur. Ejusmodi verò subjectum, cui tres illæ affectiones conveniant, in quo nimirum *essentia*, *existentia*, simulque *subsistentia* reperiatur, non modo *subsistentia*, verum etiam *suppositum* appellatur; atque, ubi incorporea natura præditum sit, vocatur *persona*; ut optime proinde *persona* tum à Boetio, (*a*) tum à Phi-

(*a*) *Lib. de Pers. & Nat. cap. 2.*

Philoſophis aliis definiatur *rationalis naturæ individua ſubſtantia*. Exinde vero facile apparet quod perſona ipſa non ab *eſſentia*, neque ab *exiſtentia* conſtituitur, cum illarum utraque non ſubſtantiæ ſolum, ac perſonæ, ſed accidenti quoque conveniat; ſed ab *hypoſtaſi* ſolum, vel *ſubſiſtentia* oriri formarique debet; ut ubi plures, diſtinctæque *hypoſtaſes* admittantur, plures etiam, diſtinctæque *perſonæ* eſſe debeant.

XIII. Quamvis autem in creatis rebus *hypoſtaſis* ipſa multiplicari non poſſit quin *eſſentia* quoque, ſive natura multiplicetur, atque ubi plures *hypoſtaſes*, totidemque *perſonæ* fuerint, totidem etiam ſingulares *naturæ* eſſe debeant: in divinis tamen, ubi nulla perfectio, circumſtantia, ſive proprietas effingi poteſt, cujus ope natura dividi, varias in partes diſtingui, adeoque multiplicari unquam poſſit, hypoſtaſis quidem, adeoque perſona, multiplicari, ſed eſſentiæ tamen atque natura omnino ſimplex, atque unica in pluribus perſonis illis admitti poterit. Etenim, cum *eſſentia* ab *hypoſtaſi* diſtinguatur, ſi hypoſtaſis ipſa aliqua de cauſſa multiplicari debeat, nulla verò de cauſſa natura dividi, vel multiplicari unquam poſſit, una prorſus eademque natura pluribus perſonis ineſſe poterit. Atque ita certe divinæ fidei lumine, divinæque revelationis præſidio erudimur quod in divinis, atque ineffabili *Trinitatis* myſterio tres *Perſonæ* invicem diſtinctæ, ſed unica tamen *eſſentia*, atque natura admitti debet. Ita viciſſim in Chriſto, vel *Incarnationis* myſterio erudimur, quod in Chriſto ipſo duplex quidem *natura*, *divina* ſcilicet, ac *humana*, duplex etiam voluntas admitti debet; ſed unica tamen, eaque divina, *Perſona*; cum divina divinæ Perſonæ hypoſtaſis creatæ ſubſiſtentiæ, vel humanæ hy-

hypostasis vices impleverit; adeoque in illo neque humana hypostasis, neque humana persona reperiretur; sed humana solum natura à divina Persona assumpta, sibique conjuncta foret. Quandoquidem verò operationes omnes non ab *essentia*, sive natura, sed à *persona* oriuntur, ipsique veluti caussæ adscribi debent, operationes omnes à Christo peractæ infiniti valoris, ac dignitatis esse debebant, quippe quæ ab infinita, divina nimirum, Persona veluti caussa producebantur. Sed hæc Theologis explicanda, divinæque fidei præsidio subtilius exponenda relinquimus, cum naturæ lumen, adeoque Metaphysicæ nostræ fines, excedant: nonnulla tamen hic obiter, ac opportune indicanda fuerunt, ut facile ostenderetur quod, quamvis ejusmodi *Trinitatis*, & *Incarnationis* Mysteria mentis humanæ vires longissime superent, atque ab illa perspicue intelligi, comprehendique non possint, ab ipso tamen rationis lumine non abhorrent; nihilque continent, quod impossibile, repugnans, contradictorium sit; cumque Deus infinita sui perfectione, sive potentia nihil efficere, continere, vel revelare unquam possit, in quo repugnantia, vel contradictio reperiatur, adeoque nitidæ distinctæque cognitioni nostræ, primisque entis affectionibus adversetur, perfectiones tamen illas in se complecti, easque nobis in Mysteriis illis credendas proponere, vel revelare potuit, in quibus nulla repugnantia, vel contradictio reperiatur, si *hypostasis* ab *essentia* distinguatur à quemadmodum sane perfectiones illas, sive attributa distinguenda fore jam vidimus.

CAPUT IV.

De Ente possibili, ac impossibili, necessario, & contingenti; mutabili, & immutabili.

I. EX iis, quæ de Entium natura, existentia, ac hypostasi jam demonstravimus, universa quoque varietas illa nunc exponenda deducitur, qua Entia quædam *possibilia* vel *impossibilia*; *necessaria*, vel *contingentia*; *mutabilia* demum, vel *immutabilia* dicuntur; simulque discrimina, variique modi deprehendi poterunt, quibus ens aliquod vel possibile, vel necessarium, vel mutabile censeri, vocarique possit.

II. Possibile vocatur ens illud, in quo nulla contradictio, vel intrinseca repugnantia continetur ut esse possit; ubi nimirum idea clara & distincta ejusdem entis ab intellectu nostro percepta fuerit, attributum unum, quod in ipso concipitur, alteri non repugnat; sed unum potius alteri conjungi, vel convenire posse percipitur; ut *figura mille laterum*, *mons aureus*, *lacteum flumen*, *corpus gravitatis expers* &c.

Impossibile vero dicitur illud, in quo attributum unum alteri repugnat, ipsümque destruit; ut proinde ens illud unà concipi, simulque destrui, vel auferri videatur; ut *triangulum quinque lateribus formatum*, *quantitas inextensa*, *infinitum terminis circumscriptum* &c.

III. Atque ejusmodi quidem possibilitas, vel impossibilitas entis *intrinseca*, vel *metaphysica* nominatur ubi ens aliquod in seipso, vel in essentia solum spectatur; hoc est in attributis illis, quibus intrinsece componatur. Sin vero ens ipsum physice spectetur, hoc

hoc est ad existentiam referatur, simulque potentiam, aut caussam, a qua producatur, tunc possibilitas illa, vel impossibilitas, quæ in re concipitur, *extrinseca* solum, vel *physica* vocatur.

Itaque quidquid *intrinsece*, vel *metaphysice* possibile sit, *physice* quoque, vel *extrinsece* possibile censendum erit, si vis, ac potentia reperiatur, quæ ipsi producendo par esse possit, atque ens ipsum a *potentia* ad *actum*, hoc est ab *essentia* ad *existentiam* transferre possit. Sin vero nulla omnino caussa, vel agendi vis esse potest, quæ ens ipsum producere, ipsique existentiam conferre possit, ens illud *intrinsece* quidem possibile, sed *extrinsece* tamen impossibile, physiceque repugnans dicatur. Quandoquidem ergo in creatis quidem caussis finita, in Deo autem infinita vis, ac potentia reperitur, plurima à creatis caussis illis produci non poterunt; adeoque *physice impossibilia* dicentur; hæc ipsa tamen ab infinita Dei potentia, quæ nullis omnino creatæ naturæ legibus circumscribitur, atque illud omne efficere profecto potest, in quo metaphysica, vel intrinseca repugnantia non reperitur, produci poterunt, ac interdum etiam producta sunt, ut mortuis vitam restituere, calorem ab igne producendum impedire, corporibus gravitatem, ejusque motum auferre &c.

IV. Exinde vero perspicue apparet quod ubi fortasse inquiri, vel definiri debeat an effectus aliquis *possibilis*, *impossibilis* sit, prius *intrinseca*, vel *metaphysica* ipsius *possibilitas* inquiri debet; deinde vero caussa quoque explorari, quæ ipsi producendo par esse possit. Etenim, si in ipsius essentia, vel attributis illis, quibus effectus ipse, vel ens intrinsece componatur, aliqua contradictio,

vel repugnantia deprehendatur, omnino *impossibile* censendum erit, ut nequidem ab ipso Deo produci possit. Sin vero metaphysice quidem possibile sit, atque intrinsece non repugnet; sed solum naturæ creatæ viribus adversetur, tunc à solo Deo produci poterit, physiceque solum repugnans, vel impossibile censendum erit. Quod si postremo creata quoque caussa, sive potentia reperiatur, quæ ens ipsum producere perfecte possit, tunc *physice* quoque *possibile* dicetur, ut in exemplis superioribus demonstratur.

V. Aliquando tamen effectus aliquis, quamvis intrinsece, & extrinsece quoque possibilis sit, adeoque neque physice, neque metaphysice repugnet, ac interdum etiam producatur, communi quodam loquendi more *impossibilis*, sive *repugnans* vocatur: quod nimirum admodum raro, difficile, ac vix contingat; adeoque impossibilitas illa non *metaphysica*, aut *physica*, sed *moralis* solum, vocatur. Ita *moraliter impossibile* censeri debet ut homo sanæ mentis seipsum interimat, ut quidquid ab omnibus, vel à pluribus ingenuis peritisque viris asseritur, falsum sit; atque de ejusmodi solum impossibilium genere intelligi debet Poeta, cum ait. (a)

Plurima denique repugnantia, vel impossibilia dicuntur quod *illicita*, sive *prohibita* sint; adeoque non rerum essentiæ, vel naturæ viribus adversentur, sed honestati solum, aut morum legibus opponantur; eoque solum sensu fieri non posse dicuntur quod incolumi honestate, salvisque morum legibus illa produci non possint.

VI. Altera quoque varietas, atque distinctio

(a) *Multaque jam fient, fieri quæ posse negabam.*

ctio in *possibilibus* ipsis admitti solet, ut illa sive physica, sive moralia fuerint, aliquando *absoluta*, aliquando *conditionata* dicantur.

Absoluta, vel absolute possibilia vocantur illa, quæ existere, sive produci repente poterunt, si caussa solum producendis illis idonea reperiatur; nihilque prorsus præter caussam ipsam requiritur ut producantur: ut possibile est lucem caloremque ab igne diffundi.

Conditionata vero, vel hypothetica possibilia dicuntur illa, quæ existere, sive produci non possunt, nisi præter ipsorum caussam aliquid etiam adesse contingat, ex quo veluti conditione, hypothesi, vel circumstantia quadam illorum existentia, sive productio pendere debeat; ut proinde, si ejusmodi conditio sublata fuerit, neque caussa operari, neque effectus ipse produci possit. Ita visus objecta corporea intueri non poterit, nisi lux intercedat; ignis corpus aliquod comburere non potest, nisi hoc igni proximum sit; adeoque sublata luce visus intueri, sublata corporis proximitate ignis excitari non poterit, quamvis in visu conspiciendi, in igne comburendi potentia reperiatur.

Eadem quoque varietas, ac distinctio, quæ in *possibilibus* admitti solet, in *futuris* etiam agnosci poterit; ut proinde alia *simpliciter*, & *absolute*, alia *hypothetice* solum, vel *conditionate* futura esse possint, ut superioribus exemplis ipsis apparet. Itaque in entibus illis, quæ *conditionate* solum *futura*, vel *possibilia* vocantur, duo futura, vel possibilia concipi debent, quorum unum ab altero pendere debeat; adeoque si primum ex illis auferatur, aliud existere, sive produci non possit.

VII. Ex ejusmodi vero discrimine, seu

varietate, quas ens aliquod *possibile*, sive *impossibile* vocatur, simulque ex ratione, qua ens ipsum vel *metaphysice*, vel *physice*, vel *moraliter* repugnans, sive possibile censeri debet, varietas etiam alia, sive discrimen exoritur, qua ens aliquod vel *necessarium*, vel *contingens* vocatur.

Necessarium ergo vocatur ens illud, quod ita est, ut aliter esse non possit, ideoque ipsius oppositum perspicue repugnans, vel impossibile fore concipitur. Itaque ens ipsum vel *metaphysice*, vel *physice*, vel *moraliter* necessarium esse poterit.

Metaphysice necessarium est illud, quod si ipsius essentia spectetur, non esse non potest, adeoque ipsius oppositum metaphysice repugnat. Ita metaphysice necessarium est radios omnes in circulo æquales esse; eoque sensu singulas rerum essentias intrinsece necessarias, ac immutabiles esse jam diximus. Quod si non essentia ipsa, sed existentia solum spectetur, ens illud necessarium dicetur, quod ita existit, ut non existere non possit; ipsius *non existentia* metaphysice impossibilis sit, ejusque essentiæ repugnet; ipsius existentia ab essentia minime distinguatur; adeoque, sicuti essentia invariabilis, æterna, necessaria esse debet, ita quoque ipsius existentia perennis, æterna, necessaria sit futura. Ejusmodi vero ens, quod *existentiam* hanc *necessariam* habere possit, adeoque essentialiter, ac necessario existat, Deum unum esse oportere in III. Metaphysicæ Parte ostendetur; cum entia cetera, quæcumque illa sint, contingenter solum existant, existere vel non existere etiam possint; quod in iis existentia ab essentia perspicue distinguatur; adeoque illorum essentia sine existentia concipi perfecte possit.

Physice vero necessarium vocatur ens illud,

lud, cujus oppositum naturæ creatæ viribus, seu Physicæ legibus repugnat; adeoque solis naturæ creatæ viribus esse, existere, sive produci non potest; quamvis metaphysice possibile sit, ac infinita Dei potentia præstari possit. Ita necessarium est physice ab igne calorem emitti, lapidem gravitare, flumina ad imum, vel in mare delabi &c.

Moraliter denique necessarium est illud, quod, quamvis & physice, & metaphysice non esse possit, ejusque oppositum moraliter solum repugnet; plerumque tamen producitur, vixque fere contingit ut ejus oppositum producatur. Ita *moraliter necessarium* est hominum sanæ mentis impendentis mortis periculum vitare, quidquid ab omnibus asseratur, verum esse.

VIII. Quemadmodum vero *possibilia*, ac *futura* quoque ita distingui posse jam diximus, ut alia quidem *absoluta*, alia vero *conditionata* dicantur, ita quoque *necessaria* ipsa ita distingui solent, ut alia *simpliciter*, *absolute*, vel in se ipsis necessaria sint, alia vero *hypothetice* solum, *secundum quid*, sive conditionate necessaria dicantur.

Absolute necessaria vocantur illa, quæ ex sua ipsorum indole, sine natura aliter esse, sive produci non possint, ut in exemplis superius expositis apparet; adeoque in illis necessitas ex intrinsecis ipsorum principiis exoritur.

Hypothetice vero necessaria dicuntur illa, quorum necessitas, & existentia ex aliqua conditione pendere debet, qua posita necessario concipi, vel existere, ea vero sublata, auferri illa debeant: quamvis conditio illa non necessaria, sed potius indifferens, possibilis solum, & contingens sit. Ita necessarium est hominem objectum aliquod intueri, si objectum ipsum sibi propositum sit, si lux.

lux intercedat, si oculos aperiat, atque in objectum ipsum convertat; & quamvis conditiones illæ mere possibiles, liberæ, & contingentes sint, iis tamen positis objectum ipsum non *liberè*, sed *necessariò* percipiatur.

IX. Contingens autem vocatur ens illud, quod ita est, ut etiam non esse possit; adeoque cum ejus essentia nitidè distincteque percepta fuerit, prorsus indifferens esse concipitur ut existere, vel non existere fortasse possit: Itaque, cum *contingentia necessitati* opponatur, quemadmodum *necessitas* ipsa vel *metaphysica*, vel *physica*, vel *moralis* esse potest, itidemque necessitas ipsa aliquando *absoluta*, aliquando vero *conditionata* solum, vel hypothetica censeri debet; ita quoque varietas illa, sive distinctio in *contingentia* admitti poterit ut ens aliquod vel *metaphysice*, vel *physice*, vel *moraliter*, vel *absolute*, vel *hypothetice* contingens dicatur, prout ipsius oppositum vel metaphysice, vel physice, vel moraliter, vel absolute, vel hypothetice possibile sit.

X. Exinde verò perspicuè apparet quod humanæ voluntatis arbitrium perfecte liberum esse non poterit, nisi metaphysica, simulque physica necessitas excludatur; adeoque actus ipse prorsus indifferens, & contingens sit, ut proinde voluntas ita in actum ipsum inclinet, ipsumque producat, ut oppositum quoque, si velit, amplecti possit. Itaque quidquid in homine necessario producetur, liberum, contingens, indifferens esse non poterit; adeoque necessitas illa, quæ *absoluta* fuerit, arbitrio opponitur, humanamque libertatem omnino perimit. Sin verò necessitas illa non *absoluta*, sed *hypothetica* solum, vel *conditionata* sit, optime cum libertate componi, sive cum indifferentia conjungi poterit, cum necessitas illa ex hy-

pothesi solum, vel conditione oriatur, quæ cum indifferens, & contingens foret, libere, consultoque posita, vel electa fuit; adeoque libere, consultoque illud etiam electum censeatur, quod ex ejusmodi conditione posita necessario consequatur. Ita libere consultoque homines objecta corpora adspicient, si libere ad ipsa accedant, oculos aperiant, ac in illa convertant. Cum actum aliquem exerimus non operari non possumus, hoc est uno eodemque tempore operari simulque non operari non possumus; sed libere tamen operamur, quippe qui libere, sponteque nos ipsos ad operandum determinavimus. Illa, quæ à Deo producta fuerint, necessarium est ut extiterint, infecta esse non possunt, Deusque ipse efficere non poterit ut infecta illa sint; sed illa tamen in seipsis non *necessaria*, sed *contingentia* censenda sunt, cum necessitas illa ex sola hypothesi oriatur, quod illa nimirum aliquando libere sponteque à Deo producta sint.

XI. Atque ejusmodi quidem *necessitas*, & *contingentia*, quas hactenus exposui, rebus ipsis conveniunt si ad ipsarum essentiam, aut existentiam referatur, adeoque ens aliquod in re ipsa spectatum vel necessarium, vel contingens dicatur. Quod si ens aliquod ad aliud ens referatur, ac modus ille spectetur, quo ad ipsius essentiam vel existentiam conferre possit, ipsique producendo sive formando requiratur, tunc ens ipsum novo distinctoque sensu *necessarium*, sive *contingens* dicetur. Ita perfectiones illæ, vel attributa, quæ rei cuidam *intrinseca*, vel *essentialia* vocantur, ad ipsius essentiam & existentiam *necessaria* dicuntur; quod ens illud sine attributis ipsis existere, vel esse non possit. Ita causæ, à quibus res, & effectus aliquis produci debet, ipsi producendo *necessariæ* vocantur, quod ablatis illis ipse produci

duci non possit. Ita plurimæ *conditiones* aliæ, & *rationes sufficientes*, ut alibi mox ostendetur, *necessariæ* sunt ut effectus aliquis à caussa sua producatur; cùm iis sublatis caussa operari, & effectus ipse produci non possit. Itaque ens aliquod, quamvis in seipso *contingens* sit, adeoque existere, vel non existere fortasse possit, respectu tamen alterius entis *necessarium* dicetur; cùmque Deus solum utroque sensu *necessarius* haberi vocarique debeat, quod necessario ipse sit, nihilque prorsus sine illo existere, sive produci possit, creatæ res omnes in seipsis quidem *contingentes*, sed in ordine tamen ad aliud *necessariæ* aliquando esse poterunt, cum ens illud independenter ab ipsis existere, vel esse non possit.

XII. Eadem quoque varietas, atque distinctio, quæ in entibus, ac objectis illis reperitur, quæ ab intellectu nostro præcepta fuerint, ut alia metaphysice, alia physice, alia moraliter necessaria dicantur, nostris etiam cognitionibus inesse debet, atque in illa certitudine distingui solet, quam in cognoscendis objectis illis acquirimus. Itaque certitudo ipsa ita distingui debet, ut alia quidem *metaphysica*, alia *physica*, alia *moralis* dicatur.

Metaphysica certitudo vocatur illa, qua entia metaphysice necessaria, eorumque attributa percipimus; ubi nempe res ipsa aliter esse non potest, quàm ut à nobis percepta sit: ut metaphysice certi sumus in circulo radios omnes æquales esse; totum esse majus sua parte; idem non posse simul esse & non esse &c.

Physica certitudo dicitur illa, qua cognoscimus attributa, quæ physice necessario rei perceptæ conveniunt; ut proinde res ipsa salvis naturæ legibus aliter esse non possit: ut phy-

physice certi sumus corpora gravitare, defunctum hominem reviviscere non posse &c.

Moralis denique certitudo est illa, qua entia moraliter solum necessaria, sive attributa cognoscimus, quæ moraliter ipsi rei necessario conveniunt; ut proinde res ipsa raro, aut numquam fere aliter contingat, quàm ut à nobis concipitur. Ita moraliter certi sumus Virgilium, Cæsarem, Pythagoram extitisse, id quod ab omnibus, vel à pluribus ingenuis, peritisque viris asseratur, esse verum &c.

Quamvis autem ejusmodi cognitionis, vel certitudinis *moralis* genus in *theoreticis* disciplinis omnibus infrequenter admodum adhiberi consueverit, ac in iis perspicuitas illa, & certitudo inquiratur, quæ ex ipsa rerum indole, ac natura, simulque ex observatione, vel experimento physico oriatur; in *practicis* tamen facultatibus, in iis, quæ ad mores pertinent, in civilis vitæ regendæ ratione, in humanis actibus exerendis frequentissime utiliter, ac necessario usurpatur. Etenim, si in rebus gerendis, eligendisque severior illa certitudo expectanda foret, humanus animus mira atque inextricabili propemodum anxietate torqueretur; nihilque fere eligere, vel amplecti posset; cum subtilior illa certitudo in tanta rerum vicissitudine, opinionumque varietate obtineri, sive sperari vix possit. Itaque prudentis erit *moralem* hanc certitudinem inquirere, eaque duce operari, ut fusius, & accuratius, in Ethica demonstratur.

XIII. Quemadmodum verò si entium natura, vel existentia spectetur, entia quædam vel *necessaria*, vel *contingentia* dicuntur; ita quoque, si attributa illa, vel affectiones spectentur, quæ entibus ipsis inesse possunt; entia

entia quædam *mutabilia*, quædam *immutabilia* vocantur.

Mutabilia dicuntur illa, quæ aliter existere, & esse possunt ac in re sint; illa nimirum, quæ novum esse, novumque statum recipere subinde possunt.

Immutabilia vero censentur illa, quæ aliter esse non possunt, ac in se sint; adeoque novum esse recipere, aut vetus esse amittere non possunt.

Itaque *mutabilitas* ipsa, vel *immutabilitas* entis non aliunde oriri, vel repeti debet, quàm ex modo, quo affectiones ipsæ, vel attributa, quæ in re concipiuntur, ipsi conveniant. Si attributum ipsum *metaphysica*, aut *physica*, aut *morali necessitate* rei conveniat, tunc eadem res *metaphysice*, *physice*, aut *moraliter immutabilis* dicetur. Sin vero attributum vel *metaphysica*, vel *physica*, vel *morali contingentia* subjecto conjungatur, subjectum *metaphysice*, vel *physice*; vel *moraliter mutabile* censendum erit, ut in exemplis mox proferendis constabit.

XIV. Quandoquidem vero in omni mutatione, quæcumque illa fuerit, novum esse produci debet, nova nimirum entitas, aut modus, qui veluti mutationis ejusdem terminus, finis, & effectus esse concipitur, ex varia ejusmodi entitate, sive pro vario entis genere, quod acquiratur, varia quoque mutationis genera distingui solent, ut alia quidem *substantialis*, alia vero *accidentalis* dicatur.

Accidentalis mutatio vocatur illa, in qua nova solum accidentalis entitas, novusque modus in substantia, veteri prorsus incolumi, producatur: ut cum lignum ex frigido fit calidum, cera rotunda quadrata fiat &c. Itaque juxta varia *Modorum*, aut *Accidentium* genera, quæ subtilius, & opportunius

in Logica recensentur, mutatio ipsa accidentalis varias in classes accurate dirimi, variisque nominibus appellari solet, ex vario nimirum affectionis, accidentis, aut modi genere, qui in ejusmodi mutatione producatur, varia quoque mutationis indoles, idea, vel nomen orietur.

Ita mutatio illa, quæ ad *Quantitatem* veluti terminum dirigatur, *augmentatio*, vel *diminutio* vocatur; quod in illa nova extensio, vel quantitas acquiratur, adeoque substantia vel *augeri*, vel *decrescere* concipiatur. Quod si quantitas eadem perseveret, sed tamen ad majus, minusque spatium redigatur, *rarefactio*, vel *condensatio* dicetur: ut eadem aquæ, lanæ, aeris, vel spongiæ moles, & quantitas aliquando majus, aliquando minus spatium occupare conspicitur.

Mutatio, qua nova *qualitas* acquiratur, dicitur *alteratio*; ac plerumque nomen ipsum, ac discrimen à vario qualitatis acquisitæ, sive productæ genere sortitur, ut *calefactio* à calore, *dealbatio* ab albedine. Itaque hæc mutationis species latissime patet, atque infinita fere mutationis tum corporeæ, tum incorporeæ genera complectitur; ut cum humanus animus ex *injusto justus*, ex *imperito peritus* fiat &c. adeoque si mutationes illas exceperis, quæ ad *quantitatem*, *figuram*, *motum*, *situm* veluti terminum diriguntur, ceteræ ad *alterationem* referri, novamque *qualitatem* producere existimantur.

Mutatio, qua corpus ex uno *in locum* alium transfertur, *motus* vocatur; adeoque localis hic motus optimè definitur *migratio corporis è loco in locum*.

Mutatio, qua corporis partes alio ordine disponuntur, *situs*, *ordo*, vel *positura* vocatur; atque ex ejusmodi positura vel ordine ipsa quoque corporis *figura* dependet. Ita G

cry-

crystallus contusa in pulverem, tritici grana in farinam, convertantur, eædem crystalli, triticique partes novum ordinem, situm, vel dispositionem acquirent; atque eædem ceræ partes ita disponi, varioque situ collocari poterunt, ut exinde vel rotunda, vel quadrata *figura* oriatur.

Mutatio, qua res aliqua, quæ prius indifferens, iners, ac otiosa fuerat, operatur, aut effectum, sive actionem ab altera re productum excipit, *Actio*, vel *Passio* vocatur; & qualitas illa, sive dispositio, propensio, facilitas, quæ ex pluribus iteratis actibus acquiratur, ut novus actus veteribus jam iteratis similis producatur, *Habitus* vocari solet: ut ex pluribus canendi actibus rite frequentatis *Musicæ habitus*, ex pluribus justitiæ actibus ipsa *Justitiæ virtus*, aut habitus contrahitur.

XV. Substantialis verò mutatio censetur illa, in qua non accidentia solum, aut modi, sed ipsa quoque res ac *substantia* nova producitur: ut cum ex ligno fit ignis, ex cera igni imposita fumus, ex cibo sanguis & caro &c. Quandoquidem vero creatæ naturæ viribus aliquid ex nihilo produci non potest, ubi nova quædam substantia producatur, vetus alia substantia destrui, corrumpi, vel interire debet, ut in exemplis illis apparet. Quod si increatæ, hoc est divinæ potentiæ viribus res, & substantia quædam ex nihilo producatur, productio illa non *generatio*, sed *creatio* dicetur; quemadmodum, si res ipsa non in substantiam aliam, sed in nihilum redigatur, non *interitus*, *corruptio*, vel *mors*, sed *annihilatio* vocatur. Ita quoque si substantia una in alterius generis substantiam divinæ potentiæ viribus convertatur, adeoque materiæ, seu corpori, cui certa quædam *substantialis forma* inerat, ea de-

destructa, substantialis alia distincta forma concedatur, mutatio illa *transsubstantiatio* dicetur.

XVI. Quo vero discrimine, vel charactere cognosci possit an mutatio illa, quæ nobis explicanda contigerit, *accidentalis* solum, vel *substantialis* potius censenda sit, opportunius, & accuratius in Physica ostendi debet. Illud unum hic obiter observasse juverit, quod substantialis mutatio neque ex uno, neque ex pluribus etiam accidentibus inferri potest, quæ variata fuerint; cum una eademque substantia perenni fere accidentium mutationi obnoxia esse possit; ipsa tamen adhuc incolumis, atque eadem perseveret, adeoque uno prorsus eodemque nomine designetur. Ita Seneca (*a*) præclare observavit quod *nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis; nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more*, & tamen maxima, ac infinita fere varietas illa non efficit quin eadem hominis natura, ac substantia in puero, adulto, ac sene reperiatur. Ita, licet perennis quædam varietas, & alteratio in humano corpore producatur, iisque materiæ partibus, quæ ipsi inerant, continuo fere fluxu in aerem avolantibus novæ partes aliæ succedant, una tamen eademque corporis humani substantia vocatur; eoque sensu intelligitur defuncta corpora iterum divinæ potentiæ viribus instaurari, animo conjungi, adeoque defunctos homines reviviscere posse, ut à pluribus Ethnicis etiam Philosophis admittebatur.

XVII. Illud etiam hic observari facile pote-

(*a*) *Epist.* 58.

poterit, quòd in Deo quidem nullum prorſus mutationis genus effingi poterit; cum ipſe neque in ſubſtantia, neque in attributis, aut affectionibus, quæ in illo concipiuntur alterari poſſit, ſed omnino perennis, ac *immutabilis* eſse debeat, ut alibi demonſtrabitur. Creatæ verò ſubſtantiæ quæcumque illæ fuerint, ita *mutabiles* eſſe debent, ut ſi corporeæ illæ ſint, tum *accidentali*, tum *ſubſtantiali* quoque mutationi obnoxiæ eſſe poſſint. Sin vero incorporeæ ſint, partibuſque careant, adeoque dividi, diſcerpi, corporeiſque moribus percelli non poſſint, *accidentalem* quidem mutationem ſubire illæ poterunt, novaſque incorporeas affectiones induere, ſed ipſarum *ſubſtantia* neque corrumpi, neque interire, neque generari, ſed à Deo ſolum ex nihilo creari, aut in nihilum redigi poterit, ut accuratius oſtendetur ubi de incorporea, ac immortali humanæ mentis ſubſtantia agendum erit.

XVIII. Obſervari denique poterit, quod, quamvis ejuſmodi mutationis *ſubſtantialis*, & *accidentalis* genera corporeis præſertim rebus conveniant; aliquando tamen abſtractis etiam; incorporeis, aut mortalibus entibus adſcribi ſolent, ut illa quoque in ſua veluti ſubſtantia deſtrui, aliquando verò accidentaliter ſolum, incolumi tamen ſubſtantia, variari videantur. Ita plerumque dicitur hiſtoriam aliquam ſic à variis Scriptoribus exprimi, ut ipſius *ſubſtantia* diverſa ſit, ubi quod ab uno aſſeritur, ab alio deſtruatur. Sin vero in quibuſdam ſolum circumſtantiis varietas habeatur, *accidentalis* ſolum mutatio cenſeri ſolet, quæ facti *ſubſtantiæ* non adverſetur. Contractus cujuſdam vis, & auctoritas aliquando leviter ſolum, vel *accidentaliter* mutatur, aut infringitur; aliquando vero ipſa quoque *ſubſtantia* infringi,

vel

vel interire concipitur. Ita *possessio*, *dominium*, *jus*, *actio*, *debitum*, *jurisdictio* &c. aliaque id genus ex uno in subjectum aliud *transferri* dicuntur: perinde quasi locali quodam motu ex uno in aliud migrarent. Ita denique laudatis viris honorem accedere, vituperatis honorem detrahi, vel auferri dicimus; quod *honorem* ipsum veluti realem quandam affectionem concipere consueverimus, quæ hominibus inesse possit: cùm tamen *honor* ipse in externa solium aliorum hominum opinione positus sit, nihilque sit aliud quàm *extrinseca* quædam *denominatio*, quæ alicui concedi, vel auferri possit. Cùm tamen in iis, quæ ad mores pertinent, atque ad tranquillam cum hominibus aliis societatem referri possunt, ejusmodi *moralium entitatum*, ac *denominationum* vis, & auctoritas maxima esse debeat, quippe quæ ex veris quibusdam, & realibus affectionibus veluti caussis oriantur, plurimumque ad tranquillam hominum societatem conferre possunt, ipsarum singulæ veri, ac realis entis instar haberi poterunt, ut ab Ethicis, & Jurisconsultis optime demonstratur.

CAPUT V.

De Spatio, Motu, ac Tempore.

I. VArietas illa, sive distinctio, quam in extrema superioris Capitis parte complexi sumus, illa nimirum, qua ens aliquod aut *mutabile*, aut *immutabile* censeri, vocarique debet, accurate intelligi, vel explicari non poterat, nisi prius in nobis idea quædam *Spatii*, *Motus*, ac *Temporis* excitaretur. Etenim ens illud *mutabile* à nobis intelligi, dicique solet, quod vario distinctoque tempore varios veluti status acquirit; ut ali-

aliquo nimirum temporis spatio novum esse recipiat, quo superiori tempore carebat. Mutabilitas illa, sive mobilitas, qua corpus aliquod ex uno in locum alium migrare concipitur; sine *Spatii* extensione, & successiva quadam corporis translatione percipi non poterit; ut scilicet corpus ipsum nunc uni, mox alteri spatio, sive spatii parti respondeat. Itaque, ut illa, quæ superius exposita sunt, accuratius adhuc intelligantur, aliaque plurima, quæ in ceteris Metaphysicæ partibus magno usui sunt *futura*, opportune proponantur, aliqua de *Spatio* ipso, vel *Loco*, simulque de *Tempore*, ac *Motu*, ipsorumque natura, & affectionibus explicari nunc debent.

II. Atque, ut ab ipsa *Spatii* natura exordiar, *Spatii* nomine nihil aliud intelligi; vel designari solet, quàm extensio quædam, intercapedo, sive capacitas, in qua corpus aliquod collocari posse concipitur, ut proinde spatium ipsum à corpore occupari, repleríque possit. Ita, si corpus unum ab alio distinctum, ac sejunctum concipiatur, inter illa quædam extensio, longitudo, sive distantia percipitur; at ubi hæc extensio, sive distantia in longum, latum, & profundum replicata fuerit, tunc extensio quædam exsurget, quæ corpori recipiendo par esse possit, in quo trina dimensio reperitur; adeoque capacitas ille sive extensio corporis recipiandi capax *Spatium* vocabitur. Ejusmodi verò spatii extensio, vel idea longe facilius, & clarius ex *Suavis*, aut *Vacui* notione formari, deducique poterit. Etenim, si vas aliquod, aut cubiculum aere repletum sit, & ab intellectu nostro concipitur hunc aerem à Deo annihilari, simulque exteriorem aerem impediri ne in destructi aeris locum ingrediatur, inter vasis latera, sive cubiculi parietes

rietes nihil aliud superterit, quàm sola trina dimensio, capacitas, intervallum, aut spatium ipsum, quod prius ab aere occupabatur, & ab alio corpore repleri possit. Quandoquidem vero corpus omne, quod existat, extensione præditum est, eaque extensione spatium, aut locum aliquem implere debet, perspicue apparet in ipso quoque Spatio extensionem aliquam, variasque partes esse oportere; eamque prorsus in Spatio extensionem admittendam esse, quanta sit illa realis entis extensio, quæ in locato corpore reperitur: perinde quasi loci, seu spatii extensio cum ipsa locati corporis extensione coexistere, atque unà cum illa penetrari debeat. Sed perspicue quoque intelligitur, quod in spatio quolibet ejus extensio à locati corporis extensione distingui debet; cùm capacitas illa nunc ab uno, nunc ab alio corpore repleri possit, atque corporibus omnibus ex spatio sublatis, vel omnino destructis spatii extensio adhuc superesse concipiatur.

III. Supposita jam hac *Spatii* notione, in qua tum veteres, tum recentiores etiam Philosophi mire conspirant, gravissima quæstio exoritur: an extensio illa, quæ in spatio concipitur, realis ac positiva sit, an verò potius imaginaria censeri debeat?

Leucippus, Democritus, & Epicurus extensionem illam veram, ac realem esse putarunt; (*a*) unde Gassendus (*b*) etiam, qui veterem Epicuri, vel Atomistarum sententiam excitavit, Spatii naturam realem, incorpoream, intactilem, soliditatis expertem, penetrabilem, actionis omnis, perpassionisque

(*a*) *Vid. Arist. Phys. Lib. 4. cap. 8.*
(*b*) *Phys. Lib. 2. Sect. 1. cap.*

que incapacem esse contendit, idemque prorsus ante Gassendum ipsum docuerat Patricius, (*a*) qui Spatium ante res omnes à Deo productas extitisse sive productum esse putavit; Spatiumque ipsum *hypostaticam extensionem* esse, adeoque *substantiæ* nomine vocari posse contendit; cùm tamen Gassendus spatium ipsum neque corporeum, neque incorporeæ substantiæ modum esse dixerit; sed tertium quoddam entis genus, quod à *Substantia*, & à *Modo* accuratissime distingueretur. Cartesius (*b*) verò nullum omnino spatium, aut locum corporis expertem esse posse arbitratur; adeoque spatium omnino *vacuum*, aut *inane* vel existere, vel produci posse negavit; eamque extensionem, quæ in spatio vacua conciperetur, omnino corpoream, & corpus esse defendit, quippe qui existimet corporis naturam, aut essentiam in triplici dimensione, vel extensione collocatam esse. Itaque juxta Cartesium spatium omne, vel extensio quælibet non modò *realis*, & *corporea* esse debet, sed *corpus* etiam ipsum, materiam, sive substantiam extensione simulque soliditate, vel impenetrabilitate præditam constituit, adeoque in ipsius hypothesi *spatium* à *corpore* nullo discrimine distingueretur. Denique realis ipsa, vel positiva spatii natura à Neutono, (*c*) Lokio, (*d*) Keillio, (*e*) aliisque pluribus asseritur; qui quamvis ipsam corporis essentiam in hac una extensione positam esse non dixerint, adeoque *corpus* à *Spatio* distinxerint, hoc uno

tamen

(*a*) *De Rerum natura Lib.* 1. *cap.* 8. 9.
(*b*) *Princip. Phylos.*
(*c*) *Princip. Phil. Schol. gener.*
(*d*) *Lib.* 2. *cap.* 13.
(*e*) *Introduct. ad Physic.*

tamen discrimine *Spatium* à *corpore* distingui putant, quod utraque quidem tum corporis tum spatii extensio realis ac positiva sit, sed ipsa tamen spatii extensio penetrabilis esse debeat, & a corpore pervadi, occupari, replerique possit, corporis autem extensio soliditate conjuncta, vel *impenetrabilis* esse debeat. Quandoquidem verò spatium ipsum à Deo produci non poterat, alioquin spatium aliud prius existere, vel concipi deberet, in quo Spatium ipsum produceretur, eique spatio *infinitas*, *immobilitas*, *unitas*, aliaque id genus attributa plurima adscribi debent, quæ Deo conveniunt, Nevvtonus (*a*) ipse, Morus, (*b*) Rhapsonus, (*c*) Clarkius, (*d*) aliique plures Spatium ipsum nihil aliud esse arbitrantur, quam attributum Dei: adeoque spatii substantiam ab ipsa Dei substantia distingui non posse contendunt, ac utramque tum Dei tum Spatii idem nobis ingenitam, ac innatam esse Clarkius existimavit.

IV. Alii vero extensionem illam, quæ in *Spatio* concipitur, ipsique convenire potest, imaginariam esse arbitrantur. Etenim ne Aristotelem, (*e*) Hobbesium, (*f*) Volfium, (*g*) aliosque plures hic memorem, Leibnitius ipse, qui in *Theodicææ* Gassendo imprudens adhæserat, alibi (*h*) realem hanc Spatii extensionem improbavit. Atque optimo id quidem

dem

(*a*) *Princip. Phil. Schol. gener.*
(*b*) *Enchir. Ethic. Part. 1. cap. 8. §. 8.*
(*c*) *Conam. Mathemat. de Spatio cap. 5.*
(*d*) *De Exist. & Attrib. Dei.*
(*e*) *Phys. Lib. 4. cap 36. tex. 35.*
(*f*) *Phys. cap. 26.*
(*g*) *Ontol. Part. 2. Sect. 1. cap. 2.*
(*h*) *Act. Lips. an. 1695. pag. 151.*

dem maximoque jure. Etenim quicumque nitidam, & accuratam extensionis illius ideam formaverit, quæ in Spatio concipitur, ac Spatium illud rite conceperit, quod in Vacuo, vel Inani percipitur, perspicue intelliget Spatium illud nihil aliud esse, quàm abstractam intellectus ideam, sive phantasma quoddam, quo unius ab alio corpore distantiam, locique capedinem ita concipimus, ut in illa nullum omnino corpus, nulla realis, ac positiva entitas, & affectio reperiatur; sed imaginaria quædam capacitas ut à corpore occupari, replerique possit. Itaque *immensitas*, *unitas*, *immobilitas*, ceteræque proprietates aliæ, quæ Spatio, vel Vacuo tribuuntur, nihil sunt aliud, quam imaginariæ quædam entis imaginarii affectiones; tantumque abest ut ipsæ veluti Dei attributa censeri, Deique substantia cum Spatii substantia confundi possit, ut ne quidem vera corporeæ substantiæ attributa esse possint. Accedit etiam quod extensio illa, quæ in Spatio concipitur, partibus una conjunctis continuatisque componi, adeoque mensurari, suas in partes dividi, secernique deberet: quorum singula divinæ substantiæ perspicue repugnant, ut opportunius ostendetur ubi de Deo, ejusque attributis agendum erit.

V. Interim hoc perspicue certoque constitui poterit, quod Spatium illud, quod extra Universi fines concipitur, ubi realis Universi extensio vel moles finita admittatur, prorsus imaginarium purumque nihil esse debet; ut proinde temere inepteque Lucretius (*a*) & Lokius (*b*) illud reale, ac positivum

(*a*) *Lib. 1. ver. 967.*
(*b*) *Lib. 2. cap. 13.*

tivum esse putaverint, ibique Cartesius veram corporis substantiam ab ipsa spatii extensione formatam admiserit, adeoque Universum ipsum *indefinitum*, vel *infinitum* esse dixerit. Illud etiam Spatium, in quo Mundus à Deo productus positusque fuit; imaginarium censeri debet. Imaginarium denique est Spatium illud, quod ab aliquo corpore, adeoque etiam ab universa ipsorum compage, vel Universo occupatur.

V. Quamvis autem Spatii extensio prorsus imaginaria sit; ejusmodi tamen imaginarii Spatii notio vel idea perspicuæ accuratæque localis motus cognitioni conferre plurimum poterit. Siquidem, ubi Spatium ipsum, aut locus veluti indefinita quædam extensio concipiatur, quæ Universo æqualis sit, atque ipsos etiam Universi fines excedat, hæc indefinita, simulque immobilis esse videbitur, quippe quæ terminis, ac initio carens nec ipsum quoque motus initium, aut finem habere possit. Itaque facile corpus aliquod ex uno in locum alium transferri sive migrare intelligitur ubi concipiatur realem corporis extensionem modo huic, modo alteri imaginariæ Spatii extensionis parti congruere, coexistere, respondere; quemadmodum fere, si corpus aliquod immobile, veluti maris aut fluminis littus percipiatur, facile intelligetur navim flumine, aut mari positam moveri quod illa modo huic, modo alteri littoris parti proximior fiat, nunc uni, nunc alteri littoris parti respondeat. Hæc ipsa tamen localis motus idea, sive cognitio deprehendi formarique poterit si mobile corpus non ad intrinsecum Spatium referatur quod ab illo repleri sive occupari concipitur, sed cum extrinseco quodam, vel ambiente corpore compareturt, à quo recedere, sive ad quod accedere, intelligatur. Ita, si

corpus aliquod, ut telum in aere moveatur, localis motus idea ex aere ipso vel circumposito corpore desumi poterit; quod nempe telum modo ab hac aeris parte, modo ab alia veluti superficie ambiatur; tuncque *loci* notio non imaginario internoque Spatio, sed externo solum, ambienti, sive circumposito corpori tribuetur, ac *locus* ipse locato corpori *extrinsecus* dicetur, ut vinum in vase veluti loco continetur.

VI. Quæcumque tamen vel *intrinseci*, vel *extrinseci* loci notio concipiatur, facile intelligetur motum ipsum nihil aliud esse quam successivam loci mutationem; ut optime proinde definiatur: *migratio*, sive *translatio corporis è loco in locum*. Itaque ut corpus aliquod *moveri* dicatur, non certe requiritur ut ab iis corporibus, quibus proxime & immediate ambitur, recedat; sed omnino sufficit ut corporibus aliis, quæ immota fuerint, proximius, vel remotius fiat; adeoque variis intrinseci loci, seu spatii partibus respondeat. Ita, si vinum in dolio positum una cum navi, in qua dolium ipsum existat, transferatur, vinum ipsum moveri dicetur; quamvis ab una eademque dolii superficie ambiatur. Ita, si Tellus moveretur, ab aere sive athmosphera sibi circumposita simulque circumducta nunquam recederet; sed vere tamen moveretur: quod nimirum illa, si ad solem, vel alia corpora referatur, variam ad illa distantiam, aut situm acquirat, variisque intrinseci loci, vel imaginarii spatii partibus respondeat.

VII. Ex ejusmodi vero perspicua nitidaque *Motus* localis idea, *Temporis* etiam notio in nobis producitur; adeoque Motus, ac Temporis ideæ invicem conjunctæ esse solent, ut Motus à Tempore, Tempus à Motu mensurari vel definiri consueverit. Etenim,

nim, cum in locali motu duratio quædam, extensio, diturnitas, plurimæ nimirum, distinctæque partes concipiantur, quæ simul existere nequeant, sed una post aliam continuata serie producatur, continua illa, nec interrupta successivarum partium series continuatam entis existentiam, adeoque ipsius *durationem* producit, quæ *Tempus* vocatur. Itaque Tempus ipsum optime definitur: *successiva rerum mutabilium duratio*, sive *continuata existentia rei, quæ mutabilis sit*, adeoque incipere, ac desinere potest; eoque discrimine vel charactere *Tempus* *Æternitate* distinguitur, quæ *rei immutabilis duratio* dicitur, sive *duratio, quæ initio, ac fine carere debet*. Hinc Aristoteles (*a*) obscure quidem, sed accurate tamen, ait: *Tempus est numerus, & Mensura Motus secundum prius, & posterius*: quod nimirum, ut res numerabiles numero, ita tempore motum metiri consuevimus; adeoque, cum in motu priores aliæ, aliæ posteriores partes esse debeant, atque ipsarum una alteri succedat, ita quoque in tempore hæc ipsa partium successio reperiatur. Ac certe quidem in tempore, veluti extensione quadam, plurimas, ac infinitas partes existere, adeoque tempus ipsum, alterius extensionis instar, in infinitum dividi posse concipimus; cum data qualibet, vel exigua, temporis parte, in ipsa duæ medietates, iterumque cujuslibet medietatis medietates aliæ distingui possint; neque pars ulla concipi, vel admitti possit, quæ iterum in infinitum dividi nequeat; quemadmodum vicissim in ipso motu, quo temporis extensio, sive diuturnitas mensuratur,

(*a*) *Phys. Lib. cap. tex.*

tur, totidem prorsus, hoc est infinitæ partes distingui possunt.

VIII. Quamvis tamen in quolibet Temporis spatio distincta quædam partium multitudo reperiatur, ex qua tempus ipsum vel *magnum*, vel *parvum*, vel *breve*, vel *longum* vocatur, plerumque tamen temporis diuturnitas ex perceptione, vel reflexione nostra pendere solet, qua singulas, aut certe plures, in illo partes concipimus, ac numeramus: ut, si proinde successivas illas temporis partes non advertamus, ac veluti numeremus, tempus ipsum elabi non percipiamus. Hinc jucundæ rei intenti, vel acri meditatione occupati, vel profundo somno dediti veram temporis durationem non percipimus, ipsumque *breve* fuisse dicimus; vicissim vero dolore quodam affecti; molestaque sensatione, vel spe, vel expectatione solliciti majorem fere temporis durationem esse concipimus, tempusque *longum* fuisse dicimus: quod nimirum plures in nobis ipsis perceptiones, adeoque plures in tempore, ac duratione partes numeremus.

IX. Nihil est autem cur in veteri controversia dirimenda immoremur, utrum nempe duratio ipsa, vel Tempus à re durante distinguatur, utrum Tempus ipsum imaginaria quædam an realis entitas esse debeat, utrum denique corporeum, aut incorporeum ens illud esse, censerique debeat. Siquidem perspicue apparet quod duratio ipsa à re durante, veluti modus à substantia, distingui debet; ut quemadmodum nempe existentia à rei durantis, & existentis natura distinguitur, ita quoque duratio, quæ nihil est aliud, quam continuata rei existentia, à rei durantis essentia distingui debet; quamvis ab illa separari non possit, neque duratio sine re durante, neque res ipsa durans sine dura-

durationе habeatur. Itaque, si duratio veluti existentiæ modus & affectio concipiatur, corporea quædam, realis, ac positiva rei durantis affectio censeri poterit. Sin vero tempus ipsum veluti numerus concipiatur, qui ex numeratis motus partibus oriatur, tunc non in rebus ipsis, sed in intellectu solo numerante, veluti ipsius perceptio reperietur; adeoque incorporea quædam, ac spiritualis idea censebitur. Hinc Antiphanes ait (a) quod *Tempus est quidpiam, quod non re, sed cogitatione, constat*; & Plato varias Entium classes enumerans ait, quod *sextum genus eorum est, quæ quasi sunt, ut Inane, ac Tempus*, (b) quod nimirum *Spatium*, ac *Tempus* ipsum non in rebus, sed in intellectu solo, reperiantur. Itaque præclare fallitur Gassendus, (c) qui Tempus ipsum, spatii instar, distinctum quoddam entis realis genus esse putavit, quod neque substantiæ, neque Modi, neque corporei, neque incorporei Entis genere contineretur; quemadmodum etiam ludicro prorsus phantasmate decepti sunt illi, qui Tempus ipsum veluti ens quoddam ante Mundi creationem extitisse dicunt; perinde quasi Tempus aliquod extiterit, quo Mundus nondum creatus erat. Etenim, si Tempus veluti rei durantis & existentis affectio concipiatur, quis aperte non videat ante rei durantis productionem ipsius durationem existere, sive concipi non posse? Sin vero Tempus ipsum nihil sit aliud, quam incorporea quædam idea, quæ ab intellectu nostro formata fuerit, tempus illud, quod

(a) *Apud. Stobæ. Eclog. Phys. pag. 19.*
(b) *Senec. epist. 68.*
(c) *Phys. Par.*

quod ante rerum omnium originem concipiatur, inane prorsus ac imaginarium phantasma censendum erit, quod ex nostro concipiendi more oriatur.

X. Ex ipsa quoque perceptionis nostræ natura, impotentia, simulque ex præconcepta jam temporis idea sive notione dependet quod sicuti in ipso tempore successivam quandam partium multitudinem necessario concipimus, ita quoque in aliis etiam durationis generibus, hoc est in *Æternitate*, atque *Æviternitate* varias illas, sibique succedentes durationis partes concipere consuevimus; quamvis in illis nulla partium varietas, distinctio, aut successio reperiatur. Siquidem Æternitas ipsa entis omnino immutabilis duratio esse debet; adeoque, cum in illo duratio atque existentia invariabilis esse debeat, ideoque partes in illa existere sibique succedere non possint, ne quidem in ipsius duratione partes aliquæ admitti poterunt. Hinc Æternitas optime definitur: *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*; adeoque Æternitate neque *prius*, neque *posterius*, neque *præteritum*, neque *futurum* effingi poterit; & sicuti in Tempore nulla pars *præsens* admitti potest, sed partes omnes aut *præteritæ*, aut *futuræ* sunt, adeoque indivisibile solum ipsius *instans*, veluti *præsens*, concipitur; ita vicissim in Æternitate neque pars ulla præterita, neque futura esse potest; sed omnia simul præsentia atque in indivisibili simul conjuncta, vel existentia esse debent. Quæcumque vero de *Æternitate* jam diximus, de ipsa quoque *Æviternitate*, vel *Ævo* constitui possunt: illa nimirum duratione, quæ aliquando quidem incœpit, sed nunquam tamen desinere debeat; adeoque initium quidem habuit, sed nullum omnino finem est habitura. Ejusmodi vero durationis

nis genus Angelis, & humanis animis convenire concipitur, qui indole, naturaque sua perennes, ac immortales esse debent; corporeis quoque substantiis adscribi illa posset, si ita à Deo conserventur, ut in illis nullus omnino interitus, atque mutatio esse possit.

XI. Ceterum ex accurata *Motus*, *Spatii*, & *Temporis* natura jam explicata perspicue apparet quod maxima, & arctissima quædam affinitas, & connexio inter illa reperiatur, ut unum ab alio mensuretur, hoc est unius intensio, vel magnitudo ex alterius extensione, vel magnitudine deducatur. Hinc motus ille *æquabilis*, vel *uniformis* vocatur, qui æqualibus temporis partibus æquales spatii partes peragit; i lle *celerior* dicitur, qui vel eodem temporis spatio plures, vel minori tempore eandem spatii partem absolvat. Tempus illud *majus*, aut *longius* vocabitur, in quo plures spatii partes peraguntur, aut plures motus partes conficientur. Spatium denique *majus* erit, quod diuturniori motu, majorique tempore peragatur. Itaque, cum localis motus quilibet in tempore quodam perficiatur, successivis partibus componatur, variasque spatii partes sibi ordine succedentes successive excurrat, adeoque successivis etiam temporis partibus mensuretur, manifeste apparet quod motus ipse in indivisibili temporis spatio, sive in instanti, fieri non potest, ideoque motus *instantaneus* omnino repugnat, contradictionem involvit, nec ab infinita Dei potentia produci potest. Hinc ubi nitida quadam ratione, intimoque sensu percipiatur quod *cogitatio* quædam in instanti, vel in indivisibili temporis in nobis peragatur, certissimè inferri poterit perceptionem illam corporeæ substantiæ motum esse non posse: adeoque substantiam cogitantem prorsus in-

corpoream esse oportere. Inferri etiam poterit Angelos, & humanos animos à corpore separatos alio prorsus, quam *localis*, motus genere ex uno in locum alium transire; cum incorporeæ substantiæ illæ sint, adeoque corporum instar moveri non possint. Ubi vero concipimus videndi vim velut ex nostris oculis erumpentem ad objecta corpora pervenire, aut cogitationem nostram ex uno in locum alium, ut *Roma Constantinopolim* transilire, solo infantiæ præjudicio fallimur; cùm objecta corpora in nobis ipsis, hoc est in ipsorum imaginibus, intueamur, quæ sensibus exceptæ cerebroque impressæ ab anima percipiuntur, adeoque cogitatio non ex una in urbem aliam, sed ex una in imaginem aliam, excurrat, quod in indivisibili, sive momento peragi posse intelligimus.

CAPUT VI.

De Ente finito, indefinito, ac infinito.

I. IN explicanda Motus, ac Temporis, simulque spatii natura sæpius à nobis *finiti*, vel *infiniti* voces, & ideæ usurpari debuerunt, quippe quæ facile ex entium illorum ideis excitari, atque cum illis arctissimo fœdere conjungi soleant. Etenim quicumque ideam illam subtilius exploraverit, qua ens aliquod veluti *infinitum* concipimus, facile profecto intelliget *infinitatis* ideam ex solis spatii, durationis, numerique notionibus excitari; quod in entibus illis extensio quædam concipiatur, adeoque cum numerus, & extensio quælibet semel iterumque ac infinities iterari, vel multiplicari posse concipiatur, nullusque numerus, spatium, aut tempus apprehendi possit, qui novis partibus aliis augeri nequeat, exinde veluti fonte infini-

finitas illa, sive infiniti notio profluxit, quam pluribus etiam entibus aliis tribuimus, ut *potentiæ*, *sapientiæ*, *perfectioni* &c. quæ, quamvis incorporea, ac inextensa sint, cujusdam tamen extensionis vel magnitudinis instar partibus una conjunctis atque iteratis componi concipiuntur.

II. Itaque, ut illa, quæ de *Spatio*, *Tempore*, ac *Motu* superius explicata sunt, clariora fiant, simulque variæ quæstiones, quæ tum in reliquis Metaphysicæ partibus, tum in disciplinis aliis institui solent, facilius dirimantur, de *finito* ipso, ac *infinito* brevissime agendum erit. Quandoquidem verò ex entibus illis, quæ infinita vocari solent, quædam non vere *infinita*, sed *indefinita* potius censeri debent, ut opportune mox ostendetur, ut ambiguitas omnis, atque error auferatur, ens ipsum ita distinguemus, ut aliud quidem *finitum*, aliud vero *indefinitum*, aliud denique *infinitum* dicatur.

Finitum vocatur ens illud, quod in eo entis genere, statu, vel idea, in qua concipitur, limites aut terminos aliquos habere debet, quos excedere, vel superare non potest: illud nimirum, in quo initium aliquod, simulque finis reperitur, quibus veluti terminis utrimque circumscribitur. Ita linea *finita* dicitur illa, quæ utrinque terminos habeat; finitus calor, finita albedo, finita potentia, celeritas, perfectio, &c. dicetur illa, in qua certa quædam, ac determinata intensio reperitur. Itaque facile ens aliquod in suo genere finitum esse concipitur, ubi nitide intelligatur ens illud in hoc ipso genere augeri posse, hoc est illi novas partes, aut gradus prioribus similes adjungi posse. Ita velocitas illa, quæ in Sole reperitur, *finita* censeri, vocarique debet, quod facile censeri alia hac celeritate major concipi

possit; proposita linea qualibet *finita* vocabitur, quod linea quædam hac ipsa major admitti possit; eademque linea nobis proposita novis partibus aliis augeri posse concipiatur.

Indefinitum vero vocatur ens illud, in quo termini à nobis intelligi, concipi, vel definiri non possunt; sed quæcumque demum magnitudo, quicumque vel partium, vel graduum numerus, quæcumque intensio, vel extensio à nobis in hoc ante percepta fuerit, semper tamen in illo extensio nova, novæque partes aut gradus alii supererunt, qui concipi in illo possint. Ita, si Mundus ab æterno conditus foret, aut in æternum duraturus esset, hominum, dierum, horarum &c. numerus *indefinitus* esse deberet. Etenim quicumque demum hominum numerus ab intellectu nostro conciperetur, semper numerus alius superesset, qui in hac ipsa indefinita hominum multitudine contineretur. Materia in indefinitum divisibilis, sive materiæ divisibilitas *indefinita* esse dicitur, quia dato quolibet divisionum, aut partium numero, semper aliæ partes supererunt, quæ partibus aliis compositæ in partes alias resolvi, dividique possint. Ita Cartesius Universum *indefinitum* esse putavit, quod ubicumque demum Universi limites ab intellectu nostro concipiantur, semper tamen extra illos nova extensio concipi possit: cumque extensio illa sive trina dimensio juxta Cartesium corporea esse debeat, corporis, ac Universi extensio nullis omnino finibus circumscribi poterit, adeoque *indefinita* censeri debebit.

III. Infinitum denique dicetur ens illud, quod terminis omnino caret; tantumque abest, ut in illo fines aliqui concipi, vel admitti possint, ut perspicue potius intelligatur

gatur nullos in ipſo terminos eſſe poſſe. Itaque in exprimenda *infiniti* idea, vel *infiniti* voce uſurpanda plerumque fallimur; ubi *infinitum* ipſum cum *indefinito* temere confundimus, idque *infinitum* vocamus, quod *indefinitum* potius cenſeri, vocarique debet; cum tamen unum ab altero perſpicue diſtinguatur, atque infinitas ipſa ita ſecerni debeat, ut alia quidem *relativa*, alia vero *abſoluta* dicatur.

Relativa, vel *negativa* infinitas vocatur illa, quæ ex noſtro concipiendi modo dependet, ubi nempe mens noſtra terminos, ac fines aliquos in re concipere, vel definire non poteſt; eaque de cauſſa rem ipſam infinitam eſſe cenſemus; quamvis in illa termini, vel fines aliqui nobis incogniti reperiantur.

Abſoluta vero, vel *poſitiva* infinitas dicetur illa, quæ terminos omnes excludit; &, quamvis in illa fines aliqui apprehendi conſueverint quod infinitas illa tenuem mentis humanæ vim ſuperet, perſpicue tamen intelligitur ipſi terminos illos, qui in ipſa temere percepti fuerint, repugnare. Ita duratio, vel æternitas illa, quæ Deo conveniat, reſpectu noſtri *relativa* ſolum, vel *negativa* concipitur quod ipſius infinitatem alia ratione concipere, vel exprimere non poſſumus, niſi quod in illa terminos ullos admittere non poſſumus; ſed ipſa tamen in ſe *vere*, *abſolute*, *poſitiveque* infinita ſit, quippe quæ terminis omnino careat, cumque nullum initium habuerit, nullum quoque finem ſit habitura. Hinc obſervari facile poterit quod ab intellectu noſtro perſpicua quidem *infinitatis*, nulla vero *infiniti* idea, quæ nitida, & accurata ſit, haberi poteſt. Perſpicue nempe intelligimus rem aliquam terminis carere, adeoque vere *infinitam* eſſe oportere; at ubi rem ipſam infinitam concipere conamur,

ipſius

ipsius ideam angustis finitisque perceptionis nostræ finibus circumscribimus, adeoque ipsam veluti *finitam*, aut saltem *indefinitam* concipere cogimur: quemadmodum fere *chiliogonum*, sive mille laterum figuram possibilem esse, ejusque attributa nitide percipimus, ut externos angulos à productis mille lateribus formatos quatuor rectis æquales esse; sed *chiliogoni* tamen ideam, nonnisi mire confusam, effingere, animoque complecti possumus.

IV. Supposita hac entis absolute, positive, vereque *infiniti* natura, idea, vel charactere, à Physicis, ac Metaphysicis acerrime disputatur an ens aliquod *infinitum* existat, vel possibile sit; sive potius intrinsece repugnet, contradictionem involvat, adeoque juxta principia superius exposita ne quidem ab ipso Deo produci possit?

Plurimi ex veteribus, ac recentioribus etiam Philosophis *infinitum* ipsum non modo ab infinita Dei potentia produci posse, verum etiam productum esse, opinantur. Siquidem plurimi materiam in infinitum divisibilem esse tum physicis tum mathematicis quoque rationibus ostendi posse arbitrantur; adeoque in qualibet extensionis, corporis, materiæ parte infinitam prorsus partium multitudinem admittendam esse contendunt, quippe quæ à nullo prorsus divisionum numero exhauriri possit. Ita Cartesius, quamvis non *infiniti*, sed *indefiniti* potius, vocem usurpaverit, *infinitum* ipsum à Deo creatum admisit cum in spatiis illis, quæ à nobis *imaginaria* dicuntur, extensionem, adeoque in ipsius hypothesi corpus admiserit; ut proinde nullus unquam huic extensioni vel Universo finis inesse possit. Etenim argumentum illud, quod hic ab illo usurpatur, perspicue ostenderet nullos in Universo limites

esse

esse posse, alioquin, si fines aliqui existerent, adhuc extra illos extensio quædam sine corpore vel Universi parte conciperetur, quod ab ipsius hypothesi abhorreret.

V. Alii vero quidquid à Deo jam libere consultoque productum fuit, finitum esse concedunt, ut *omnia in mensura, & numero, & pondere*, creata sint, ut à Sacris Litteris (*a*) erudimur. Fieri tamen posse contendunt ut infinitum aliquod ab ipso Deo producatur; neque aliter infinitam ipsius agendi vim, sive omnipotentiam intelligi, vel explicari posse arbitrantur, quàm si infinito prorsus effectui, sive infinito effectuum numero producendo par esse possit. Itaque existimant Mundum ab æterno creari potuisse, adeoque infinitam annorum mensiumque multitudinem haberi potuisse; quemadmodum, si Mundus ipse jam conditus in æternum conservetur, infinita prorsus dierum, mensium, annorumque multitudo produceretur. Quinetiam asserunt infinitum unum alio infinito majus haberi posse; ut quemadmodum nempe finitum unum alterius finiti duplum, duodecuplum esse potest, ita quoque infinitum aliquod alio infinito quacumque proposita ratione majus admitti possit; ut, si infinitus hominum numerus admitteretur, duplo infinitus oculorum numerus sit futurus; si infinitus annorum numerus una cum Mundo, qui ab æterno creatus esset, admitteretur, mensium numerus duodecuplo infinitior esse deberet. Hinc illa, quæ *De infinitis Infinitorum, ac infinitè parvorum ordinibus* à plerisque Mathematicis acerrime disputata sunt, ut ostenderent varias classes illas, aut ordi-

(*a*) *Sapient. cap.* 11. *ver.* 21.

ordines, qui infinitis magnitudinibus admittuntur, in infinitis etiam concipi vel admitti posse. Quandoquidem ergo infinitum ipsum, infinitorum classes, & ordines, ipsorumque attributa nitide, accurateque à nobis intelligi & ostendi possunt, intrinsece possibilia, sive non repugnantia censeri illa debent, ut proinde ab infinita Dei potentia produci possint.

VI. Quamvis autem hæc, aliaque id genus plurima subtiliter inventa, atque exposita sint; alii tamen ingenio doctrinaque præstantes viri infinitum illud, quod terminis careat, vereque infinitum sit, omnino repugnans, impossibile sive contradictorium existimant; ut proinde Deus ipse, quamvis omnipotens sit, infinitum aliquod neque produxerit, neque producere unquam possit.

Ac primo quidem conspicue certoque apparet quod multitudo quædam infinita intrinsece repugnat, & contradictionem involvit. Siquidem numerus omnis, ac multitudo, quæcumque illa fuerit, ex unitatibus una conjunctis, & multiplicatis exoritur; adeoque numerus infinitus ex infinitis unitatibus constare deberet. Quemadmodum ergo numerus ac multitudo quælibet, quæ ab intellectu nostro percepta sit, novis unitatibus augeri posse concipitur, ac nulla prorsus multitudo effingi potest, cui numerus alius, unitates aliæ, aut alia multitudo adjungi non possit, numerus ipse additionibus possibilibus carere, terminis destitui, vereque infinitus esse non poterit. Quæcumque vero de numero, aut multitudine dicta sunt, de linea quoque, superficie, corpore, & alio quolibet magnitudinis genere vera esse debent; cum magnitudo quælibet multitudinis instar, ex partibus iteratis vel multiplicatis exsurgat; adeoque, sicuti intrinsece repugnat

aut

aut impossibilis est magnitudo, cui novæ partes addi non possint, iisque partibus augeri neqneat, ita quoque magnitudo infinita impossibilis esse debet. Accedit etiam quod si magnitudo quædam, aut ens vere infinitum existeret, vel ab ipso Deo productum foret, infinita Dei potentia prorsus exhausta conciperetur: quippe quæ infinitum illud augere, ipsique novas partes adjungere non potest. Itaque Philosophi illi, qui ea præsertim de caussa infinitum aliquod à Deo produci posse contendunt, ut infinita Dei potentia à nobis intelligi, defendique possit, omnipotentiam ipsam evertunt, fierique posse arbitrantur ut infinita Dei potentia exhauriatur, quippe qui dixerint ens illud possibile, neque repugnans esse, quo posito sive producto Deus ipse amplius omnipotens esse, vocarique non posset. Hinc ad rationes, & argumenta singula, quibus opposita sententia defendi solet, reponunt quod materiæ divisibilitas non *infinita*, sed *indefinita* solum censeri debet; quod fortasse Mundus ab æterno creari non poterat, aut certe motus ipse, & tempus ab æterno incepisse non potuit; & quamvis etiam tum *permanentes*, tum *successivæ*, res ab æterno productæ fuissent, ac Mundus ipse cum permanentibus, ac successivis entibus in æternum conservaretur, duratio tamen illa, rerumque numerus, qui à nobis percipitur, non infinitus, sed solum indefinitus, esse deberet, cum præsens hic dies veluti finis ac terminus esse debeat, à quo indefinita illa duratio exordiatur, aut in quem desinat. Ita quoque constanter optimeque docent quod extensio Mundi ne *indefinita* quidem, sed omnino *finita* esse debet; cum Cartesii sententia, cui infinitas illa innititur, absurda sit, ut sequenti Capite demonstrabitur: quod infinitas illa, quæ à nobis

bis

bis veluti possibilis percipitur, imaginaria sit, atque perspicue entis creati ideæ adversetur. Denique ad argumenta singula, quæ ex Mathematicis proferuntur, accurate respondent quod quidquid in Mathematicis de Infinito, variisque Infinitorum ordinibus demonstratur, de *imaginario* solum *infinito*, sive potius de *indefinito* intelligi, & admitti debet, ut nimirum quantitas illa *infinita*, vel *infinita magna* dicatur, quæ data qualibet assignabili quantitate sit major; sicuti vicissim quantitas illa *minima*, vel *infinite-parva* vocatur, quæ data qualibet assignabili quantitate major sit, quamvis utraque vere finita sit, adeoque tum magnitudinis, tum parvitatis terminos habere debeat.

VII. Atque ista quidem præcipua argumenta sunt, quæ alterutra ex parte proferri solent, ut infiniti possibilitas, vel impossibilitas ostendatur; adeoque breviter explicanda fuerant ut infiniti notio subtilius exponeretur. Ceterum quæstionem ipsam dirimere fortasse nec juvat, nec licet: cum præsertim infinita Dei potentia in utraque hypothesi salvari, optimeque defendi possit. Si tamen omnia subtilius explorentur, fortasse verisimilius admitti poterit quod in infinito nulla prorsus intrinseca repugnantia, vel contradictio reperiatur; adeoque prorsus immeritò infinitum ipsum impossibile existimatur. Quod enim asseritur ab ipsa magnitudinis indole, sive natura requiri ut novis semper partibus aliis augeri possit, id de *finita* solum, non autem de *infinita* quoque magnitudine censendum erit; nec ulla perspicua, certaque ratione ostendi poterit ejusmodi finitatem veluti essentiale magnitudinis, reique creatæ attributum esse oportere, ut proinde tum finitæ, tum infinitæ quoque magnitudini convenire illa debeat. Accedit etiam quod in-

fini-

finitum ipsum augeri novisque partibus extendi poterit, nulla nimirum perspicua ratione ostendi unquam poterit infinitum unum alio infinito majus repugnare. Quod vero plurimi divinam potentiam exhaustum iri contendunt si infinitum aliquod ab illa produceretur, reponi facile poterit id inconveniens, & absurdum esse non posse. Quemadmodum enim Deus ubi effectum aliquem libere produxerit, efficere certe non potest ut effectus ille productus non sit, adeoque hac in parte divina potentia velut exhausta concipitur, ita quoque, si libere effectum aliquem produxisset, qui vere infinitus esset, ac impossibile sit infinitum illud augeri, nullum inconveniens & absurdum effingi poterit quod in hac hypothesi, vel dependenter à libera Dei voluntate effectus aliquis ab illo productus augeri non possit. Ceterum ne infinito quidem effectu producto divina potentia exhausta foret. Siquidem infinitum illud augere, ac infinitum aliud vel in eodem ipso, vel in alio entis genere producere posset. Si generatio futura in infinitum secundum has species, quæ sunt finitæ, duraret, adhuc plura Deus posset facere; quia posset facere novas species, & hoc in infinitum. *D. Thom.* quæst. de Verit. disp. quæst. 20. art. 4. Itaque, ut uno omnia verbo complectar, cum una ex parte nitide certoque cognoscatur divinæ potentiæ vires infinitas esse oportere, adeoque illa solum à Deo produci non posse, quæ repugnantia, vel contradictoria sint; altera verò ex parte ejusmodi infiniti repugnantia vel contradictio nulla perspicua certaque ratione ostendi posse videatur, verisimilius est certe infinitum ipsum à Deo produci posse; ne scilicet Dei potentia, rerumque possibilitas ambiguis solum mentis nostræ viribus, atque imaginibus circumscribatur.

VIII. Quæ-

VIII. Quæcumque vero de Infinito jam diximus, sive infinitum ipsum possibile, sive repugnans, ac impossibile censeatur, de utroque *infinitatis* genere intelligi debent, quo ens aliquod vel *extensive*, vel *intensive* infinitum vocatur.

Intensiva infinitas dicitur illa, quæ in certo quodam entis genere continetur, ac in illo terminos omnes excludere concipitur: ut si calor aliquis vere infinitus foret, calor ille intensive infinitus, vel infinite intensus vocaretur; eique substantiæ, cui inesset, infinitam hanc intensionem imprimeret.

Extensiva vero infinitas vocatur illa, quæ nullis entium generibus circumscribitur, sed ad omnia potius ipsorum genera diffundatur; ut proinde ipsorum numerus ac multitudo prorsus infinita sit, quamvis ipsorum quodlibet intensive finitum, vel infinitum sit: ut si infiniti homines, infiniti lapides existerent.

Itaque si infinitum ipsum possibile censeatur, non modo res aliqua intensive infinita à Deo produci poterit; verum etiam res extensive quoque infinitæ, hoc est infinita generis alicujus entia, infinita entium genera, infinita quoque infinitorum generum entia produci poterunt: quemadmodum sane Deum ipsum utroque infinitatis genere infinitum esse ostendemus; cum in quolibet entis ac perfectionis genere infinite perfectus sit, infinita nempe infinitarum perfectionum genera complectatur; atque ita quidem ut infinitas illa in ipso necessaria, essentialis, ac independens esse debeat, eoque discrimine à creatis entibus, quæ infinita fortasse forent, accuratissime distingueretur, quippe quæ libere, & contingenter infinitatem illam, quæcumque foret, ab ipso Deo sortirentur.

CA-

CAPUT VII.

De Ente corporeo, & incorporeo, sive de Corpore, ac Spiritu.

I. PLurima, quæ variis in locis, atque præsertim in explicanda Temporis, & Infiniti natura varioque entium mutabilium, vel immutabilium genere superius exposita sunt, perfecte intelligi vel explicari non possunt, nisi perspicue intelligatur quid *corporei*, vel *incorporei* Entis idea, vel nomine designetur; quove discrimine, vel charactere distingui possit an ens illud, quod à nobis percipitur, corporeum, vel incorporeum censeri debeat; in quo nimirum *Corporis*, ac *Spiritus* etiam natura, & essentia posita sit. Itaque de corporei, atque incorporei Entis natura ac discrimine agendum erit; cum præsertim ex ejusmodi cognitione perniciosæ quædam, & absurdæ sententiæ refellendæ sint: quas à veteribus, ac recentioribus etiam Philosophis inventas liberius serpere, atque incautis imponere posse conspicimus. Quandoquidem verò longe facilior est Corporis, quàm Spiritus, cognitio, adeoque ex ipsa Corporis cognitione Spiritus idea sive cognitio pendere & à nobis acquiri plerumque solet, prius de Corpore, deinde vero de Spiritu brevissime differetur.

II. Itaque *Co pus*, *materia*, vel *corporea substantia* vocatur illa, in qua trina dimensio, longitudo scilicet, latitudo, atque altitudo, sive profunditas reperitur, plurimæ quoque affectiones aliæ observantur, ut gravitas, durities, fluiditas, calor &c. ceteræque proprietates & qualitates illæ, quæ sensibus percipi, & explorari possunt, adeoque *sensibiles* appellantur; præsertim vero soliditas,

aut

aut impenetrabilitas, qua corpus ipsum tactui, vel alteri corpori resistit, ut quamvis maxime fluidum ac tenuissimum sit, corpus tamen aliud excludat, ab alio corpore pervadi vel penetrari non possit, adeoque repugnet unum idemque spatium, aut locum simul eodemque tempore à duplici corpore occupari.

Ejusmodi vero corporis idea, sive materiæ notio evidenter adeo distincteque à nobis percipitur, ut illa clarius exponi vel definiri non possit. Sed illud unum à Philosophis inquiritur in quo materiæ vel corporis essentia posita sit, quodnam ex variis attributis illis, quæ corpori inesse solent, aliorum primum, ipsique intrinsecum, necessarium, inseparabile, & essentiale esse debeat; cum certe plurima ex attributis illis contingentia solum, ac separabilia condenda sint. Etenim figura, motus, durities, situs aliæque plurimæ corporis affectiones ab illo sejungi possunt, ipsique contingenter solum conveniunt; non modo quod figura quælibet, situs, motus &c. quæ in corpore reperitur, variari, & auferri possit, quin ipsa corporis idea destruatur, verum etiam quod accurate corporis idea à nobis concipi, formarique possit, quamvis affectiones illæ à corpore separentur. Itaque si qualitates, & affectiones illæ, quæ sensu percipiuntur, materiæ intrinsecæ, & essentiales esse non possunt, proprietates aliæ, sive attributum aliud inquiri debet, quod intrinsece, & inseparabiliter ipsi conveniat; ut proinde, si attributum illud ponatur, ipsum quoque corpus admitti debeat; sin vero auferatur, ipsa quoque corporis idea, vel essentia destruatur, hoc est attributum illud exponi, sine quo corpus esse, existere vel concipi non possit.

III. Cartesius, aliique plures existimant attri-

attributum illud nihil aliud esse, quam *extensionem*; ideoque Corporis essentiam in trina dimensione positam esse arbitrantur. Etenim observant quod ubi trina dimensio à nobis percepta sit, ipsa quoque corporis existentia perspicue percipitur; ubi corpori trina dimensio auferatur, corpus ipsum omnino destrui vel auferri concipitur; quemadmodum facile, nitideque percipitur quod ab extensione ipsa veluti fonte primoque corporis attributo *soliditas*, *impenetrabilitas*, *figura*, *mobilitas*, & affectiones aliæ dimanant, quæ sublata extensione corpori amplius inesse vel convenire non possent. Hinc Cartesius Mundi extensionem indefinitam, vel potius intrinsece, vereque infinitam esse putavit quod in iis etiam spatiis, quæ extra Universi limites concipiuntur, ac *imaginaria* vocari solent, extensio, adeoque corpus reperiatur. Spatium vero prorsus inane, corporis expers, aut vacuum ne ab ipsa quidem infinita Dei potentia produci posse contendit: cum in ipso quoque vacuo trina dimensio concipi, ideoque corporis essentia, vel corpus esse debeat.

IV. Sed Cartesius hic, alibique sæpius Corpus *physicum* cum *mathematico* temere confundit; adeoque sicuti in corpore mathematico, illo nimirum, quod mente concipitur, atque in sola mente nostra cogitante existit, nihil aliud, quàm trina dimensio reperitur, ita quoque corporis etiam physici essentiam, ejus nimirum, quod extra nos ipsos existere, suasque physicas, & reales affectiones induere potest, in hac ipsa trina extensione collocatam esse putavit. Itaque primum Cartesius ipse in hoc fallitur quod physici corporis essentiam in extensione illa positam esse putavit, quæ à nobis percepta, ac imaginaria sit; cujusmodi sane esse debet

exten-

extensio, quæ in spatio vacuo, vel extra Universi fines admitti debet; cum tamen extensio illa, quæ physico corpori conveniat, realis ac positiva esse debeat. Deinde vero extensio ipsa, quamvis etiam vera, realis, ac positiva sit, perspicuus quidem ac primus materiæ character, primumque attributum esse poterit, quod in corpore concipiatur, & ex quo ceteræ affectiones aliæ dimanent; sed ipsa tamen extensio, ut Cartesius ipse fatetur, (a) cum ex hoc solo quod corpus sit extensum in longum, latum, & profundum recte concludamus illud esse substantiam, quia omnino repugnat ut nihili sit aliqua extensio, idem etiam de spatio quod vacuum supponitur, concludendum est, quod nempe, cum in eo sit extensio, necessario etiam in ipso sit substantia, neque existere, neque accurate concipi possit, nisi tanquam perfectio quædam, attributum, ac modus, qui substantiæ inhæreat, ipsamque *extensam* efficiat; adeoque in corporis idea vel essentia prius substantiæ notio, quam extensionis idea, apprehendi debet; proindeque corpus, ac materia non extensio sola, sed substantia extensione prædita, sive potius substantia extensionis capax, & extensionem exigens esse debet. Itaque nulla prorsus contradictio reperitur ut substantia illa, quæ extensionem receperat actuali extensione destituatur, quamvis illam intrinsece requirat, ipsius capax sit, atque ad illam intrinsecum, & essentialem ordinem habere debeat.

V. Quod si actualis extensio ad ipsam physici Corporis essentiam spectare, eamque constituere non potest, multo certe minus *impe-*

(a) *Princip. Philos. Part.* 2. *art.* 16.

impenetrabilitas ad essentiam illam spectabit. Quamvis enim corpus ita comparatum sit, ut tactui resistat, & corpus aliud à loco, quem occupaverit, excludat; hæc tamen affectio, sive impenetrabilitas nonnisi secundaria quædam corporis affectio censeri debet, quæ extensionis instar corporeæ substantiæ, sive corporis essentiæ adjungatur, atque ex extensione ipsa oriatur. Itaque hæc altera, vel secundaria corporis affectio & extensionis effectus a Deo impediri vel auferri profecto poterit; ut proinde duo corpora penetrari, hoc est uno eodemque tempore in uno eodemque loco esse possint.

Quemadmodum vero neque actualis *extensio* neque *impenetrabilitas* ipsa velut intrinsecum inseparabile, & essentiale Corporis, sive materiæ attributum censeri potest, ita sane *mobilitas* ipsa, vel *motus*, *energia*, vel agendi vis ipsi corpori, sive materiæ intrinseca, & essentialis esse non poterit. Siquidem corpus ipsum, quamvis etiam extensione, ac impenetrabilitate præditum supponatur, accurate concipi vel esse potest, etiamsi nullus omnino motus in illo existat, sed illud prorsus indifferens esse concipitur ut quiescere, vel moveri possit; atque ubi in illo motus, ac agendi vix apprehendatur, motus ipse velut affectio quædam concipietur, quæ ipsi contingenter conveniat, adeoque prorsus à corpore separari, vel auferri possit quin essentia corporis destruatur (*a*).

VI. Itaque Leibnitii, ac Tolandi sententia manifestissime refelli debet, qui *activitatem*, vel agendi vim, ac motum materiæ intrinsecum,

(a) *Act. Lips. an.* 1695. *pag.* 146. *Epist.* 3. & 4. *ad Serenam.*

cum, & essentialem esse putarunt; quamvis Leibnitius *monades* illas, quibus veluti primordiis indivisibilibus minimis, ac inextensis universa corpora componuntur, incorporeas finxerit, ipsisque activitatem illam, motum, simulque confusam quandam perceptionem concesserit, quæ deinde in universam materiæ, corporumque compagem à monadibus ipsis compositam manaret. Illi quoque facile perspicueque refelli debent, qui singulis materiæ partibus mutuam *attractionis* vim, ac *nisum* quendam ingenitum, ac essentialem esse dixerunt, quo ad mutuum contactum accedere, simulque coalescere, & conjungi conentur. Etenim nisus ille, conatus, attractio, quamvis in ipsis materiæ partibus velut immechanica quædam ac universalis affectio admitteretur, semper tamen ipsis contingens, separabilis, & extrinsecus impressa foret; cum ipsæ materiæ corporisque partes natura sua inertes, otiosæ, ac omnino indifferentes concipiantur ut ejusmodi vi donari sive destitui possint, ut optime, accurateque Lokius (a) observavit. Denique universa quoque Chaldæorum, Persarum, Sinensium, Helmontii, Chymicorum, aliorumque sententia refelli debet, qui vim quandam *hylarchicam*, *principium archæum* materiæ inesse putarunt, qua singulæ materiæ, ac Universi partes foveri, agitari, ac dirigi deberent; quemadmodum fere Pythagoras, Stoici, & Plato Spiritum quendam, atque animam per singulas Universi partes diffusam esse dixerunt; eamque tamen non materiæ ipsi ingenitam, sed divinam potius mentem esse putarunt, quæ ita singulas Universi

(a) *Lib.* 2. *cap.* 13. §. 22.

versi partes pervaderet, foveret, agitaret, ut ex illa singulæ animantium animæ veluti fonte decerperentur.

VII. Ceterum quidquid de obscuris ejusmodi Veterum, ac Recentiorum quorundam sententiis censeri debeat, perspicue ex iis, quæ demonstrata sunt, inferri jam poterit quod materiæ quidem, corporisque physici nomine intelligi debet ens illud positivum ac reale, quod positiva realique extensione, impenetrabilitate, motu, ceterisque modis, & affectionibus præditum sit; sed ita tamen ut singulæ affectiones illæ corpori, sive materiæ non intrinsecæ ac essentiales, sed contingentes sint, adeoque corporis essentia in hoc uno posita censeri debet, quod sit *substantia quædam, quæ extensionem exigat, ejusque capax sit*, ut ex illa deinde juxta naturæ leges à Deo constitutas *impenetrabilitas*, *soliditas*, *figura* &c. oriatur. Quod si motus ipse, vel nisus aut conatus ad motum, attractio, vel alia quælibet sive mechanica, sive immechanica vis in ipso corpore reperitur, hæc non à materia ipsa, sed ab alio prorsus Ente pendere debet, quod corpus esse non poterit; alioquin ipsum quoque motus principium ab alio moveri deberet: ne scilicet motus, actio, & impulsus ab immota re, agendi vis ab inerti principio oriri posse dicatur. Itaque prima motus caussa, primumque movens substantia incorporea esse debet; adeoque præter corporeas incorporea quoque substantia, vel Spiritus admitti debet.

VIII. Id optime profecto viderant Plato, ceterique sapientes omnes, si Atomistas solum exceperis, qui omnia temere & inconsulto ex fortuito solum Atomorum motu prodiisse finxerunt. Etenim Plato, ceterique melioris notæ Philosophi Mundum ab incor-

porea quædam substantia, vel Mente formatum, miroque hoc ordine distributum esse dixerunt. Sed quum intelligere non possent aliquid ab ipsa divina Mente ex solo nihilo produci posse, materiam ingenitam, æternam, ipsique Deo coævam admisere, ipsi deinde motum, atque ordinem artifex Deus impresserit. Ubi tamen sapientes illi rerum contingentium indolem subtilius explorassent, melioremque supremi Numinis ideam, & accuratam ipsius potentiæ notionem efformassent, intelligere profecto illi poterant nullam omnino repugnantiam occurrere quin ens aliquod, ac materia ipsa ex solo nihilo produci possit. Ac certe quidem, si materia ipsa cum Platonicis, aliisque pluribus ingenita, ipsique Deo coæva supponatur, eique ab æterno quiescenti, ac immotæ motus aliquando à Deo impressus fuit, motus ille ex solo nihilo à Deo productus esset; adeoque materia à *quiete*, hoc est *à nihilo motus* ad *motum* translata fuisset. Itaque, si non repugnat *motum* ex *nihilo motus* produci, cur impossibile, contradictorium, vel intrinsece repugnans censeri debet ens aliud ex nihilo sui, adeoque materiam ipsam ex nihilo materiæ produci posse? Deinde verò, cum intimo quodam vividoque sensu percipiamus nobisque conscii simus mentem nostram aliquando incæpisse, cumque incorporea illa sit, ipsam non ex præexistente quadam materia, sed ex nihilo creatam esse, quid prohibet quin ipsa quoque corporea materiæ substantia ex nihilo produci potuerit, cum utrobique par difficultas occurrat, eademque vis, quæ Spiritum ex nihilo produxit, eadem prorsus ac æquali jure ac potentia materiam ex nihilo educere repente possit? (a)

Ita-

(a) *Vid. Loki Lib.* 4. *cap.* 10. §. 18.

Itaque nulla prorsus intrinseca repugnantia vel contradictio reperitur ut aliquod ens ex nihilo producatur; non ita quidem ut *nihilum* ipsum in *ens* convertatur, aut veluti intrinsecum quoddam rei productæ principium evadat, quo res intrinsece componatur, ut ignis ex ligno productum dicitur, quod materia ligni in ignis materiam convertatur, ignemque componat; sed ita solum quod nihil ipsum veluti terminus concipiatur, qui ante rei productionem extitisse percipitur, producta res antea non extaret, atque repente *ex nihilo ad esse* translata fuerit. Denique, ne argumentis aliis hic immorer, quibus hæc ipsa materiæ creatio possibilis ostendi potest, simulque perspicue certoque ostendi quod materia quædam ingenita, Deoque coæva repugnat, illud unum Platonicos æternæ materiæ assertores impellere profecto poterat, quod si materia ab ipso Deo producta non foret, ab illo moveri, ornari, disponique non potuisset. Etenim, si materia à Deo producta non fuisset, sed independenter ab illo extitisset, ab ipso Deo cognosci non potuisset, cum Dei cognitio non ex extrinsecis objectis ullis oriatur, sed ipsi intrinseca, & essentialis esse debeat, atque illud unum à Deo percipi cognoscique possit, quod in ipsius essentia, attributisque adeoque potentia continetur, ut ab illo vel productum fuerit vel aliquando libere produci possit. Itaque, si materia à Deo producta non foret, in ipsius potentia contineri adeoque ab illo cognosci non potuisset; * cumque proinde Deus materiam ipsam

* Occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste Mundus nobis notus esse non posset, nisi esset. Deo autem nisi notus esset, esse non posset. *Aug. de Civ. Dei Lib.* 11. *cap.* 10.

ipſam exiſtere ignoraret, ipſi motum, ordinemque imprimere, eamque diſponere non potuiſſet. Quandoquidem ergo, motus omnis, & ordo materiæ ab ipſo Deo juxta Platonicos oriri debuit, manifeſtiſſime inferre poterant, materiam à Deo cognitam, adeoque productam fuiſſe; ut quemadmodum nempe ingenue fatebantur materiæ motum ex nihilo ab ipſo Deo productum fuiſſe, ita quoque argumentis ipſis agnoſcere profecto illi poterant materiam ipſam ex nihilo produci potuiſſe; quemadmodum ex ipſo materiæ motu contingenter illi impreſſo perſpicue certoque agnoverunt, atque à Philoſophis etiam aliis agnoſci poterat primam motus cauſſam incorpoream eſſe oportere, adeoque præter corporeas ſubſtantias incorporeas etiam admittendas eſſe.

IX. Incorporea verò ſubſtantia dicitur illa, quæ partibus & extenſione, adeoque ſoliditate, figura, ceteriſque modis, & affectionibus carere debet, quæ ex extenſione oriuntur; tantumque abeſt ut extenſionem ipſam corporis inſtar exigat, ut ipſius potius incapax ſit, atque attributa, quæ incorporeæ ſubſtantiæ conveniunt, extenſionem ipſam excludant: neque aliter ipſi ineſſe, vel in illa concipi poſſint, quam ſi extenſio ceteræque corporis affectiones omnino ſeponantur. Ita perceptio, quæ incorporeæ ſubſtantiæ character eſſe debet, neque ab extenſione oriri, neque cum extenſione conjungi poterit, ut opportune oſtendetur ubi de Mentis humanæ ſpiritualitate agendum erit. Itaque ſi in Deo, atque in homine perceptio admittatur, dubitari certe non poterit quin ipſorum ſubſtantia ſpiritualis, & incorporea ſit; quemadmodum ex ipſo quoque motu, qui contingenter materiæ ſemel inditus, ac impreſſus fuerit, incorpoream ſubſtantiam quandam

dam agnoſcendam eſſe jam diximus, quæ immoto corpori motum conceſſerit.

X. Itaque Hobbeſius, Tollandus, Collinſius aliique plures, qui non aliam quam *materiæ* ſubſtantiam admittunt, adeoque *Materialiſtæ* vocantur, ubi incorporeas ſubſtantias impoſſibiles eſſe dicunt, ipſam quoque materiam, ejuſque motum auferre, vel repugnantem aſſerere profecto debent; cum materia neque ſe ipſa produci, neque impelli, ſed ab extrinſeca cauſſa quadam fieri, moverique debuerit, quæ materia non foret. Sic ubi Hobbeſius aſſerit Deum corporeum eſſe oportere quod illa quæ corpore deſtituta fuerint, nihil omnino ſint; ubi Tolandus incorporeas ſubſtantias phantaſmata eſſe dicit, nitidam, atque accuratam ſubſtantiæ ideam cum corporeo phantaſmate mire confundunt; cum tamen ſubſtantiæ notio ab ipſa corporis, & materiæ notione diſtingui debeat; quamvis intrinſeca illa tum corporeæ, tum incorporeæ quoque ſubſtantiæ notio perſpicue à nobis intelligi vel apprehendi non poſſit; ſed illa tamen à variis modis, atque attributis illis, quibus affecta fuerit, abſtrahi, ſecernique debeat, ut una proinde corporea, alia incorporea eſſe poſſit.

XI. Quo tamen loco obſervari plurimum debet quod à Stoicis etiam, atque nonnullis Eccleſiæ Patribus humanus animus, Angeli, Deus ipſe *corpus* vocatur; ſed alio tamen diſtinctoque ſenſu, quam ut ipſorum opinio cum nefaria Tolandi, aliorumque ſententia temere confundi poſſit. Siquidem Stoici, ac Tertullianus * etiam quidquid ens foret, atque à *ni-*

* Quis negabit Deum corpus eſſe, etſi Deus ſpiritus eſt? Spiritus enim corpus ſui generis in ſua effigie *Tert. adv. Prax.*

à *nihilo* distingueretur, *corpus* vocabant; adeoque ipsas etiam rerum *essentias*, *virtutes*, *affectiones*, *actiones* corpus esse dicebant: ut illa nimirum hoc *corporis* nomine veluti positiva quædam entia à *nihilo* secernerent. At corpus illud à materia, sive corporea substantia perspicue distinguebant, cum affectiones illas, atque attributa, quæ corporeæ substantiæ sive materiæ conveniunt, ab ejusmodi corpore sejungerent; ideoque ipsorum error aut controversia in solo *corporis* nomine minus accurate feliciterque usurpando consisteret. Hobbesius verò ceterique substantias omnes ita corporeas esse volunt, ut corporeas solum affectiones illis adscribant, adeoque à corporeis substantiis nullo discrimine distingui posse contendant.

XII. Exinde verò jam facile universa Spinosæ hypothesis refelli poterit, quippe quæ perspicuis tum corporeæ, tum incorporeæ quoque substantiæ notionibus hactenus expositis adversetur. Asserit ille *substantiæ* nomine ens illud intelligi, quod in seipso independenter ab alia quacumque re existat; cumque res omnes à Deo pendere intelligeret, *substantiæ* nomen Deo soli convenire, vel concedi posse arbitratur; ceterasque res omnes, quæ existant, nihil aliud esse contendit, (*a*) quam modificationes quasdam attributorum, quæ in hac ipsa divina substantia reperiuntur. Itaque diserte ille docuit quod

præ-

Potuit propterea *Tertullianus* putari corpus Deum dicere quia non est nihil; non est inanitas, non est corporis, vel animæ qualitas. *August. Lib. de Hæresib. cap.* 86.

(*a*) *Part. I. definit.* 5.

præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia; (a) ideoque unam tantum Dei substantiam admisit, quæ æterna, indivisibilis, infinita sit; cumque in illa extensionem quandam infinitam ipse conceperit, ait extensionem illam corpoream esse oportere, unde subdit: *per Corpus intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo, & determinato modo exprimit*. (b) Denique, cum divina substantia cogitandi vi prædita esse debeat, in infinita illa, simplici, æternaque substantia infinitam cogitationem infinitæ extensioni conjunctam esse putavit; ut proinde *extensio*, simulque *cogitatio* veluti duo intrinseca, & essentialia divinæ substantiæ attributa censeri debeant. Hinc, cum extensio, sive materia à divina substantia non distinguatur, nullaque prorsus substantia præter divinam in Spinosæ hypothesi admitti possit, juxta Spinosam neque materia creari, neque ulla corporea, vel incorporea substantia produci potest, sed quidquid existat, ac fieri videatur, nihil est aliud, quam divinæ substantiæ modificatio: ut proinde neque rerum contingentia, neque arbitrii libertas, neque creata agendi vis, neque effectus aliquis naturæ legibus contrarius sive *miraculum* admitti possit: sed omnia potius necessaria sint, quippe quæ necessariis, ac immutabilibus divinæ substantiæ legibus peragantur.

XIII. Quamvis autem perditæ, ac nefariæ opinionis hujus falsitas aperte satis intelligi deprehendique possit, aliqua tamen hic op-

(a) *Part. 1. Proposit. 14.*
(b) *Part. 2. defin. 1.*

opportune, breviterque observasse juverit, ut illustriùs adhuc ostendi illa possit.

Ac primo quidem Spinosa fallitur ubi solum ens illud *substantiæ* nomine vocari posse arbitratur, quod ab alio non pendeat; adeoque nullum ens aliud, præter Deum, substantiam censeri, vocarique posse contendit. Etenim, ut alibi jam demonstravimus, *substantiæ* nomen, atque idea id unum requirit, ut ens illud, quod *substantia* vocatur, intrinsece in se subsistat, perfecte concipi, & esse possit, quamvis alia existere non concipiantur. Itaque, licet effectus omnes, ut *homo*, *lapis*, *sol*, &c. à Deo, sive à creatis etiam caussis oriantur, atque ab illis existentiam sortita fuerint, *substantiæ* tamen censeri dicique poterunt quod à nulla alia re dependeant, intrinsece ab aliis distinguantur, existentiam ac operandi vim ita receperint, ut, quamvis nullum ens aliud existeret, illam tamen exerere, & conservare possint. Quod si substantiæ nomen, atque idea ipsam quoque caussam excludere deberet, à qua substantia producta fuerit, substantiæ quidem nomen creatis rebus adscribi non posset, solique Deo conveniret; sed intrinseca tamen, atque essentialia rerum attributa à contingentibus solum ipsarum modis, & affectionibus nullo discrimine distingui possent, ut lapis à figura, homo à perceptione, quam exerit; cum tamen inter hominem, ejusque perceptionem, inter lapidem, ejusque figuram perspicua varietas, ac distinctio intimo quodam sensu deprehendatur. Quid verò quod in creatis rebus, ac præsertim in homine, plurimæ tum physicæ tum morales imperfectiones reperiuntur, quæ infinitæ Dei potentiæ, perfectioni, bonitati, scientiæ, sanctitati adversantur? Itaque, si quidquid in homine reperitur, quidquid ab ho-

homine efficitur nihil aliud esset, quam certa quædam divinæ substantiæ modificatio; imperfectiones illæ divinæ substantiæ inesse, ac ab illa produci deberent; quod sine summo scelere cogitari vix potest.

XIV. Deinde verò cum ait Spinosa quod in ejusmodi divina substantia extensio veluti ipsius intrinsecum, & essentiale attributum reperitur, quis aperte non videat extensionem ipsam veluti substantiæ cujuslibet essentiam admitti; cum tamen extensionem illam ne ipsi quidem corporeæ substantiæ essentialem esse ostenderimus? Ita cum ait extensionem hanc necessario infinitam esse oportere, perspicue fallitur; nam finitas, aut infinitas extensioni contingens est, optimeque concipi potest extensio, quamvis illa terminis circumscribatur. Absurdius est etiam quod extensionem illam indivisibilem esse dixerit; cùm extensio quælibet partibus componi debeat, adeoque varias in partes resolvi, dividique possit; ut proinde extensio indivisibilis contradictionem involvat. Accedit etiam quod mira illa motuum varietas, quæ in Universo reperitur, æternæ, infinitæ, atque indivisibili substantiæ convenire non posset, quæ semper una, ac invariabilis esse deberet; ne scilicet ex motu partium divulsio, transpositio, adeoque divisio produceretur. Denique cum substantiam illam æternam, infinitam, indivisibilem extensione simulque cogitatione præditam esse arbitratur, repugnantia simul componit; cum perceptio corporeæ extensæque substantiæ convenire non possit, ut opportunius alibi contra Lokium demonstrabitur.

XV. Itaque universa Spinosistici Systematis labes, atque impietas ex hoc uno profluxit, quod ipsius Auctor creatas ab increata, corporeas ab incorporea substantia non

distinxit; adeoque materiam cum Deo, materiæ, corporisque attributa cum Dei attributis misere confudit: unde repugnantia, vel contradictoria simul conjunxit: cumque Deum asserere videatur, *Rautheismum* potius inducit, quippe qui rerum substantiam à divina substantia non distinguat, unoque verbo libertatem, morum leges, religionem omnem subvertat.

Altera quoque Spinosticæ sententiæ caussa, & origo exinde veluti fonte manavit, quod nefarius Systematis hujus Auctor asseruit quod *una substantia nequit produci ab alia* (a); adeoque unicam solum Dei substantiam existere, vel admitti posse putavit. Ejusmodi verò principium de eo solum productionis genere intelligi profecto poterit, quod *emanatione substantiali* fieri concipitur: siquidem perspicue repugnat substantiam unam ab alia profluere, simulque tamen ab alia distingui; ut certe substantia lucis, quæ ab ipsa solis substantia manare, diffundi, sive profluere concipiatur, à solis substantia minime distingueretur. Hinc illi, qui Mundum à Deo per ejusmodi *emanationem* prodiisse volunt, Mundum ipsum à divina substantia distingui posse negarunt, Deique nomine universam hanc ad spectabilis Mundi compagem, vimque ipsi inditam intelligendam esse dixerunt. Ubi verò principium illud, aut propositio de eo productionis genere intelligatur, in quo substantia quædam non ex veteri substantia profluere, atque ex illa prorsus incolumi manare, sed ex nihilo prorsus educi dicatur, omnino falsa censeri debet; cum in

(a) *Part.* 1. *prop.* 6.

in ejuſmodi nova novæ ſubſtantiæ productione nulla prorſus intrinſeca repugnantia, vel contradictio reperiatur, ut paulo ſuperius contra Platonicos demonſtravimus. Ita quoque nulla repugnantia in alio productionis genere reperitur, qua veteri ſubſtantia prorſus deſtructa, nova ſubſtantia producatur. Quamvis enim in hoc productionis genere, qui creatæ naturæ viribus peragatur, materia ex veteri ſubſtantia in novam tranſire, manare, ac fere profluere videtur, adeoque cujuſdam fere *emanationis* inſtar haberi illa poſſit; cum tamen vetus *ſubſtantialis forma* prorſus intereat, novaque prorſus ſubſtantialis forma, & affectionum congeries à veteri diſtincta producatur, illa non *emanatio*, ſed novæ diſtinctæque ſubſtantiæ *productio* cenſeri debet.

XVI. Sed, ut à perditis ſententiis illis digrediar, quæ maximo Philoſophiæ, atque ipſius etiam humani generis dedecore ab iis invectæ ſunt, qui ingenii acumine, ac Metaphyſici nomine prorſus immerito gloriari ſolent, atque ea complectar, quæ de corporeis, atque incorporeis Entibus exponenda ſuperſunt, obſervari plurimum debet, quod ſicuti duplex ſubſtantiarum genus admittendum eſſe jam diximus, ut aliæ nimirum corporeæ, aliæ incorporeæ dicantur; ita quoque eadem prorſus varietas ac diſtinctio in modis etiam, attributis, atque affectionibus agnoſci debet, quibus eadem ſubſtantiarum genera exornari conſpicimus.

Itaque corporeum accidens, modus, & affectio dicetur illa, quæ corporeæ ſubſtantiæ conveniat, ipſi inhæreat, ipſamque modificet, ac perficiat; adeoque affectiones illæ ex ipſa corporis extenſione oriri, aut ab illa pendere merito exiſtimantur: ut *gravitas*, *motus*, *figura*, &c.

In-

Incorporeus autem modus, accidens, & affectio vocatur illa, quæ incorporeæ substantiæ convenit, ipsamque perficit, & exornat: ut *perceptio*, *volitio*, *justitia*, *sapientia*, *fides*, ceteræque virtutes omnes, quæ veluti mentis humanæ quantitates, accidentia, vel affectiones ab illa acquiri, vel ipsi divinitus infundi possunt.

Ita veræ incorporeæ qualitates illæ distingui solent, ut aliæ quidem *actuales*, aliæ *habituales* dicantur.

Actualis virtus, affectio, seu qualitas vocatur illa, quæ cum actione conjungitur, sive potius in ipsa actione consistit: ut cum justitiæ, vel charitatis actus elicitur, charitas illa *actualis* dicetur.

Habitualis autem est illa, quæ præviis actibus, ac plerumque iteratis acquisita fuit, in animo veluti impressa remanet, ipsumque ad actus similes producendos aptiorem, & alacriorem efficit. Ita quoque *intentio*, hoc est voluntatis electio, determinatio, ac imperium, quæ incorporeæ affectionis instar in voluntate concipitur, aliquando *actualis*, aliquando vero *habitualis* esse poterit. Ubi nempe voluntas ipsa actum exerit, aliquid actu decernit, eligit, & opus ipsum aggreditur, actualis in illa intentio reperitur. Sin vero actum illum, sive determinationem jam elicuerit, ipsamque contrario quodam actu non revocaverit, intentio virtualis, aut habitualis dicetur; quamvis interdum habitualis ipsa à virtuali intentione distingui consueverit, ut in Ethica demonstratur.

CAPUT VIII.

De Ente relativo, sive de variis Entium Relationibus.

I. UNiversa fere, quæ superioribus locis de variis Entium generibus, ipsorumque attributis exposita sunt, *absoluta* censeri vocarique merito solent; quippe quæ singulis Entium generibus inesse, aut ab intellectu nostro concipi possint, si entium ipsorum indoles, ac natura spectetur, ac ens illud in seipso solum, absolute, seorsim ab aliis, vel solitarie consideretur. Ita plane si unicum, ac solidarium ens aliquod concipiatur, optime intelligi, ostendique poterit quod illud *essentiam*, aut *existentiam* habeat, *necessarium* sive *contingens*, *mutabile* sive *immutabile*, *finitum* aut *infinitum*, *corporeum* denique sive *incorporeum* censeri debeat.

Quandoquidem verò nullum propemodum ens ab intellectu nostro percipitur quin facile ens ipsum ad aliud ens vel natura sua referatur, vel saltem ab intellectu referri, sive cum alio comparari possit, atque universa fere cognitio, quæ à nobis acquiritur, ex ejusmodi entium mutuo comparatorum ordinibus pendere solet, plurimæ exinde affectiones aliæ spectari debent, quæ *relativæ* dicuntur, quod illæ nimirum ex ordine oriantur, quo res una ad aliam referri concipitur. Ita, si magnitudo una cum altera conferatur, ipsius *æqualis major*, vel *minor* dicetur; adeoque *æqualitas* ipsa, vel *inæqualitas* relativa solum magnitudinis affectio vocabitur. Humanorum actuum honestas, aut pravitas ex ordine deduci debet, quo actus ipso ad legem dirigatur, ut ipsi conveniens, vel repugnans dicatur. Nullum denique entis

tis genus existere, vel concipi potest, in quo *relativa* quædam affectio inesse non possit; cum ens quodlibet ad ens aliud vel necessarium, vel contingentem ordinem habere possit, ex quo relativa hæc affectio oriatur.

II. Exinde vero facile intelligi, vel observari plurimum debet quod affectiones quædam, quamvis ut *absolutæ* concipi consueverint, perinde quasi in rebus ipsis existerent, *relativæ* tamen censendæ sunt, quippe quæ ex ordine, vel comparatione oriantur, qua res una cum altera comparatur. Ita paleam, festucam, aliaque id genus corpora *levia* vocamus, ac si nulla gravitas in iis existeret: ac levitas illa, quæ in iis percipitur, *absoluta*, ac *positiva* foret: cum tamen levitas illa *relativa* solum sit, neque alia de caussa ejusmodi corpora *levia* dicamus, nisi quod illa cum ferro, lapide; ceterisque gravioribus comparemus, minoremque in illis gravitatem deprehendamus, quam recepto jam more *levitatis* nomine designamus. Ita male vestitum hominem *nudum* vocamus, minusque locupletem *pauperem* dicimus; tepentem aquam, si cum frigida comparetur *calidam* censemus; sin vero cum bulliente comparata sit, frigidam appellamus. Ita denique de sensibilibus externorum corporum qualitatibus ex sola plerumque relatione vel ordine judicamus, quo ad sensus nostros referantur, hoc est ex modo, quo sensus nostros percellant, atque afficiant; ut cibos quosdam suaves, aut insuaves, dulces, aut amaros esse dicimus; odorem, colorem &c. corporibus ipsis inesse credimus; quod nimirum affectiones illas, quæ in nobis peraguntur, in ipsa sensuum objecta transferamus; adeoque qualitates illas corporibus inhærentes, & *absolutas* esse putemus, quæ tamen relativæ

solum

solum sunt, quippe quæ ex ordine oriantur, qui inter objecta corpora, nostramque sentiendi vim, aut sensationem in nobis ipsis peractam reperitur.

III. Sed, ut hæc omnia *Relationum* genera clarius intelligi, exponique possint, observasse juverit quod ipsa relatio, quæ in rebus concipitur, ita distingui solet, ut alia quidem *intrinseca*, alia vero *extrinseca* dicatur.

Intrinseca relatio *realis*, vel *necessaria* vocatur illa, quæ ex ipsa rei natura dimanat: ubi nempe res illa existere vel concipi non possit nisi cum ordine quodam, quo natura sua ad ens aliud referatur. Ita filius ad patrem, effectus omnis ad caussam, visus ad colores, accidens ad substantiam, signum naturale ad rem significatam, ut respiratio ad vitam &c. intrinseco, reali, vel necessario quodam ordine refertur.

Extrinseca verò, *rationis*, *contingens* relatio dicitur illa, quæ ab intellectu solo, hominumque arbitrio pendere debet. Ita relatio Principis ad subditos, moralis actus ad legem, quæ libere constituta fuerit, signi arbitrarii ad rem significatam, ut appensæ laurus ad tabernam, vocis ad ideam, quæ ejusmodi voce exprimatur, extrinseca, & contingens censeri debet, cum facile variari, ac interdum etiam auferri possit.

IV. Ejusmodi verò Relatio quæcumque illa fuerit sive nempe intrinseca, sive extrinseca sit; sive substantia cum alia substantia, sive modus unus cum alio modo, sive denique substantia cum modo comparetur, tria necessario complecti debet, hoc est *subjectum*, *terminum*, ac *fundamentum*.

Subjectum relationis vocatur ens illud, quo ad aliud ens referatur.

Terminus vicissim est illud, ad quod respe-

pectus ipse dirigitur, sive ad quod relationis subjectum referatur; ideoque perspicue apparet quod subjectum ipsum, ac terminus *correlata*, seu mutuo relata dicuntur, quod in relatione qualibet subjectum ad terminum, ac vicissim terminus ipse ad subjectum referri possit.

Fundamentum verò relationis vocatur ens illud, perfectio, vel modus entis, qui in utroque relato, vel relationis termino reperitur; ut proinde ipsius occasione, aut vi terminus unus ad alium referatur; adeoque posito fundamento resultet relatio, eo vero sublato ipsa quoque relatio auferatur, quamvis alteruter, ac interdum etiam uterque terminus adhuc supersit. Ita, si nix ad lac referatur, ipsique similis dicatur, *nix* erit *subjectum*, *lac* erit *terminus*, *albedo* vero similitudinis caussa, vel relationis *fundamentum* dicetur.

V. Itaque juxta varia entitatum, vel affectionum genera; quæ duobus entibus inesse possunt, varia quoque relationum fundamenta, adeoque etiam varia relationum genera distingui debent, quæ proinde variis etiam nominibus exprimi, sive distingui solent.

Ita, si relatio ex substantia sive natura veluti caussa, & origine deducatur, relatio illa *similitudinis*, *identitatis*, *convenientiæ*, vocatur: ut unus homo alteri *similis* esse dicitur.

Ex quantitate variæ *æqualitatis*, aut *inæqualitatis* relationes oriuntur, ut una res altera *major*, vel *minor*, ipsi *æqualis*, ipsius *dimidia*, *dupla* &c. dicatur; eademque prorsus relationum varietas ex tempore, spatio, motu, potentia, ceterisque rebus exoritur, quæ quamvis incorporeæ sint, extensione quadam, variisque partibus præditæ concipiuntur, ejusque extensionis

n's præsidio una cum altera comparatur.

Ex qualitate; quemadmodum etiam ex figura, oritur relatio *similitudinis*, vel *dissimilitudinis*: ut ex albedine similitudo lactis cum nive, ex rotunditate similitudo circuli cum alio circulo.

Ex actione, & passione resultat relatio caussæ ad effectum, & vicissim effectus ad caussam ipsam, possessoris ad rem possessam, aut emptam &c.

Ex loco oritur relatio distantiæ, viciniæ &c. continentis ad rem contentam, partis ad totum &c.

Ex ipso tempore vel duratione deducitur ordo sive relatio ætatis, ut una res alia antiquior, vel recentior dicatur.

VI. Sed nullus propemodum finis esset futurus si universa relationum genera, ipsorumque fundamenta recensenda forent; ubi præsertim relationes illæ numerandæ forent, quæ ex nostro percipiendi modo, adeoque ab intellectu nostro dependent. Illud unum observari facile poterit quod ubi res aliqua ad aliam referatur, semper aliqua caussa, fundamentum, aut ratio concipi vel esse debet, qua ejusmodi relatio instituatur: adeoque, si ratio illa subtilius exploretur, ipsa quoque relationis indoles, ac natura perspicue deprehendetur, suoque peculiari, distinctoque nomine designabitur. Sic, ut exemplum unum hic proferam, interdum duæ relationes inter se comparantur, ut ipsarum una alteri *similis*, & *æqualis* dicatur; atque ejusmodi rationum, sive relationum similitudo *proportio* vocatur; adeoque termini, seu quatuor entitates illæ, in quibus hæc relationum æqualitas reperitur, *proportionales* vocantur; ut fusius, atque opportunius in Mathematica demonstratur.

VII. Ex ipsa quoque duorum entium compara-

paratione, seu relatione ipsorum *oppositio* oriri, sive deduci solet. Ejusmodi verò oppositio, qua duo entia a nobis percepta, atque invicem comparata, discrepare, vel repugnare dicuntur, ita distingui poterit, ut alia *contraria*, alia *privativa*, alia *relativa*, alia *contradictoria* vocetur.

Contraria oppositio dicitur illa, quæ reperitur in qualitatibus, quarum utraque positiva sit, simulque in eodem qualitatis genere contineatur; sed una tamen aliam excludat, & una cum illa in eodem subjecto reperiri non possit: ut *frigus*, & *calor*; *humiditas*, & *siccitas*, *durities*, ac *fluiditas* &c. Itaque, cum ex qualitatibus illis, quæ *contrariæ* censeri, vocarique solent, utraque positiva fortasse non sit, sed una alterius privatio videatur, ut *frigus* privatio *caloris* &c. oppositio contraria facile cum *privativa* confundi poterit; adeoque substantiæ solum, quæ iis qualitatibus affectæ fuerint, invicem *contrariæ*, sive contrariæ oppositionis genere mutuo repugnantes appellari poterunt, ut *aqua* & *ignis*, &c.

Privativa verò oppositio vocatur illa, quæ reperitur inter qualitatem aliquam, quæ vera, realis, ac positiva sit, ejusque privationem: ut inter *lucem*, ac *tenebras*, motum & *quietem*, *vitam* ac *mortem*, *gratiam* & *peccatum* &c. Quo tamen loco observandum quod si privatio illa, sive carentia qualitatis concipiatur in subjecto, quod alioquin qualitatem illam habere posset, *privatio* vocatur: ut *cæcitas* in homine. Sin vero concipiatur in subjecto, quod perfectionis, & qualitatis hujus incapax sit, *negatio* dicitur, ut *cæcitas* in lapide.

Relativa oppositio, quæ omnium minima censeri debet, est illa, quæ reperitur in entibus invicem relatis, ut inter *patrem*, ac *filium*.

Con-

Contradictoria denique, repugnantia, vel oppositio omnium maxima dicitur illa, quæ reperitur inter *ens*, & *non ens*, inter *hominem*, & *non hominem* &c. Itaque, cum in aliis oppositionum generibus entis illa, quæ *opposita* fuerint, in aliquo entis genere plerumque conveniant; contradictoria in nullo entis realis genere convenire unquam possunt; sed ubi alterutrum ex illis ponatur, alterum necessario destrui, vel auferri debet.

VIII. Ita quoque ex relatione, vel ordine, quo entia quædam invicem comparata fuerint, ipsa quoque ratio, vel modus intelligi, deducique poterit, quo res una aliam præcedere, vel ipsa prior esse dicitur. Ejusmodi vero *prioritas* ita distingui solet, ut alia *positionis*, alia *honoris*, alia *naturæ*, alia *temporis* dicatur, adeoque res una altera vel positione, vel honore, vel natura, vel tempore *prior* vocatur.

Positione sola, vel loco res una prior alia dicitur, ubi fortuito solum ipsam præcedat, atque ante ipsam collocata sit, ut lapis unus ante alium.

Honore vero, dignitate res una aliam præcedit, cum ejus ordinis caussa, & origo ex ipsa rei dignitate resultet, ut Princeps prior est subdito &c.

Natura dicitur una res aliam præcedere, cum ipsarum utraque uno quidem eodemque tempore simul incæpit, simulque exiftit; sed una tamen ab alia oriri, pendere, producique debet. Ita sol radio seu luce, ignis calore suo prior natura esse dicitur; quamvis enim calor una cum igne, radius una cum sole incæperit, nullumque temporis spatium effingi possit, in quo sol sine luce, ignis sine calore extiterit; radius tamen à sole, calor ab igne produci debet, adeoque sol lucem, ignis calorem præcedere existimatur.

Tem-

Tempore demum, vel duratione res una aliam præcedit, ipsaque prior esse dicitur cum una post aliam producta fuerit; ideoque tempus aliquod inter utriusque productione intercesserit, ut inter patrem, & filium.

Hinc perspicue apparet quod caussa quælibet effectum suum præcedere, vel ipso prior esse debet, atque ita quidem ut plerumque non natura solum, sed etiam tempore ipsum præcedat; quamvis interdum uno eodemque tempore simul existant, ideoque caussa non *tempore*, sed *natura* sola, effectum ipsum præcedere existimetur. Quandoquidem verò in divinis Pater non *caussa*, sed *principium* Filii vocari debet, ut proximo Capite observabitur, Pater ipse neque *tempore*, neque *natura*, sed *origine* solum Filium præcedit, ipsoque prior origine à Theologis appellatur.

Ceterum quæcumque de variis hisce modis exposita sunt, quibus una res aliam præcedere, vel alia *prior* esse dicitur, de variis etiam modis illis intelligi poterunt, quibus una res aliam sequi, vel ipsa *posterior* esse potest; quemadmodum etiam contingere subinde potest ut res una cum alia existere, simulque cum illa concipi debeat, adeoque res illæ *simultaneæ* dicerentur: ut facile ab exemplis illis intelligi potest, quæ superiùs exposita sunt ut varia prioritatis genera ostenderentur.

CAPUT IX.

De Caussis.

I. INter innumera Relationum genera, quibus ens aliquod ad aliud ens referri, sive cum illo comparari posse jam diximus,

mus, principem fere locum obtinet respectus ille, vel ordo, sive relatio, quæ inter *caussam*, & *effectum* illum concipitur, qui ab ipsa caussa producatur. Siquidem effectus ipse à caussa produci, ab illa pendere, adeoque caussam ipsam respicere debet; nec effectus ille rite accurateque concipi poterit, nisi necessaria quædam, & arctissima connexio inter ipsum, ejusque caussam concipiatur, sicuti vicissim caussa ad effectum illum dirigetur, quem ipsa produxerit. Itaque varia Caussarum genera hic ordine complectemur, ut exinde facile varietas etiam illa ostendatur, quæ relationibus inesse potest, quæ inter caussas, ipsarumque effectus reperiantur.

II. Atque, ut ab ipso *Caussæ* nomine exordiar, ejusmodi voce ens illud intelligi, vocarique debet, quod ad alterius entis existentiam, vel productionem conferat, ipsique producendo requiratur; quemadmodum vicissim *Effectus* nomine ens illud intelligi vocarique debet, quod aliqua ratione à caussa dependeat, atque ab illa producatur. Itaque effectus omnis à propria caussa distingui, ipsaque posterior esse debet. Siquidem juxta celebre principium illud, *operari sequitur ad esse*, ideoque res ipsa prius *existere*, deinde vero *operari* concipitur, adeoque caussa tum actum illum, quem exerit, tum effectum illum, qui ejusmodi actu producatur, aliqua ratione procedere debet. Ita quoque, cum nihil seipsum producere, nihilque prorsus seipso prius esse possit, caussa ipsa, quæcumque fuerit, ab effectu distingui debet, quem existentia, virtute, & operatione sua produxerit. Hinc veteres Ecclesiæ Patres ubi de divinis loquebantur, Patrem non *caussam*, sed *principium* Filii vocarunt, quod nimirum Filius ipse Patre posterior

esse

esse non possit, nec ab illo in substantia sive natura distinguatur, sed ipsi coæternus atque ὁμοούσιος *consubstantialis* sit; quamvis aliquando Græci Patres αἰτίυ *caussæ* nomen ampliori quodam, promiscuoque sensu usurpaverint, adeoque Patrem Filii *caussam* vocaverint; licèt ipsi quoque Filium Patri *consubstantialem* esse contra Arianos defenderint.

III. Sed, ut accuratius hæc Caussæ notio, simulque universa Caussarum varietas exponatur, observari facile poterit quod Caussa ipsa ita à Philosophis omnibus distingui solet, ut alia quidem *efficiens*, alia *materialis*, alia *formalis*, alia denique *finalis* dicatur. Etenim, ut effectus aliquis existere, sive produci possit, necessario requiri, concipi, vel admitti debet ens illud, à quo producatur; cùm nullum ens aut à nihilo, aut à seipso produci possit. Itaque ens illud, quod virtute sua effectum producat, ipsumque transferat de potentia ad actum, *Efficiens* caussa vocatur. Quandoquidem vero nulla creata vi, quæ finita suisque terminis circumscripta esse debet, ens ullum ex nihilo produci potest, efficiens caussa operari, vim suam exerere, suumque effectum producere non poterit, nisi subjectum aliquod, sive materia reperiatur, ex qua effectus ille formetur; ideoque præter *efficientem*, *materialis* quoque caussa, sive *materia* requiretur. Cumque materia ipsa natura sua prorsus indifferens, & vaga sit, ut hoc potius, quam aliud esse recipiat, hic potius, quam effectus alter ex ipsa producatur, præter *materiam* ipsam *formalis* insuper caussa, hoc est *forma*, principium, perfectio quædam adjungi debet, quæ materiam determinet ut certus aliquis distinctusque effectus oriatur, adeoque effectum ipsum à ceteris omnibus,

qui

qui ex una eademque materia constare possent, accurate distinguat. Denique, cum res omnes non temere, & inconsulto, ut Epicurus asseruit, sed *finis* alicujus gratia, & amore productæ fuerint, & effectus omnis ad finem aliquem dirigatur, qui vel à natura constitutus sit, aut ab efficiente caussa, si libertate, & cognitione prædita fuerit, eligatur, *finis* ipse, vel *finalis* etiam caussa agnosci debet. Itaque maximo optimoque jure quatuor Caussarum genera a Philosophis omnibus recensentur, quod ipsarum singulæ in corporeis effectibus producendis necessariæ sint, nec effectus ullus existere sive produci possit, nisi quatuor illa caussarum genera in ipso producendo simul conspirent. Celebre est quidem Platonicos quintum aliud caussæ genus agnovisse, quam *idealem*, vel *exemplarem* vocabant, quod veluti typus, & exemplar esset, ad cujus imaginem, & similitudinem effectus ille produceretur; sed facile tamen intelligi, ostendique posset quod ejusmodi caussæ vel ideæ genus in iis solum caussis admitti poterit, quæ cognitione præditæ sint, ipsaque prævia operentur, adeoque facile *exemplaris* caussa ad *efficientem* ipsam referri potest.

IV. Ceterum sive exemplaris caussa ad efficientem referatur, sive, finalis instar, peculiare quoddam distinctumque Caussæ genus constituat, perspicue apparet quod ex ejusmodi caussarum generibus *efficiens*, *finalis*, & *exemplaris* extra effectum ipsum reperiuntur, adeoque *extrinsecæ* vocari debent. *Materialis* vero, simulque *formalis* caussa, hoc est ut communi jam receptoque more à Philosophis appellantur, *materia*, ac *forma* effectum ipsum componunt, in effectu remanent, intrinsecæ ac essentiales etiam ipsius partes censeri debent, adeoque *intrinsecæ*

vocari solent; quinetiam ab effectu ipso sola intellectus ope, vel concipiendi modo distingui possunt, ut ab intellectu solo hominis substantiam à *corpore*, & *animo* simul conjunctis distingui posse concipimus. Itaque, si materia, ac forma veluti intrinsecæ compositi, vel effectus partes spectantur, finalis autem & exemplaris caussa ad efficientem referatur, perspicue apparet quod sola efficiens, vel effectrix caussa supererit, quæ vere, proprieque effectum ipsum producere videatur, ideoque præcipuo quodam nobiliorique modo caussæ nomine decoretur; quemadmodum sane ubi effectus aliquis ab aliqua caussa produci dicitur, de sola efficiente, vel effectrice caussa intelligi consuevit.

V. Ejusmodi vero efficiens causa, quæ ceteras omnes excellit, ideoque sola proponi, vel explicari nunc debet, varias in classes distingui solet, quarum præcipuas, utilioresque, simulque ipsarum discrimina brevissime complectemur.

Itaque efficiens caussa vel *prima*, vel *secunda* esse poterit. Caussa prima vocatur illa, quæ ceteris rebus ita dat esse, ut ipsa à nullo receperit, vel à nullo producta fuerit, ut est solus Deus. Caussa vero secunda dicitur illa, quæ alteri quidem dat esse; sed ipsa quoque suum esse ab alio recepit, ut sunt caussæ creatæ.

Caussa *proxima*, & *immediata* dicitur illa, à qua proxime effectus ipse producitur: ut filius à patre. *Remota* vero, vel *mediata* est illa, inter quam & effectum ipsum intermedia quædam caussa intercedit: ut inter avum, & nepotem.

Caussa *principalis* vocatur illa, quæ virtute sua effectum producit, adeoque effectus ipsi veluti principio veræque causæ tribui-

tur,

tur, ut ſtatua artifici. *Inſtrumentalis* vero dicitur illa, quæ principali veluti medium, ac inſtrumentum inſervit, ipſaque dirigente, & applicante effectui producendo conferre poteſt; nihilque prorſus efficeret, niſi à principali applicaretur ad operandum: ut ſcalprum, ſerra, penicillus &c.

Cauſſa *per ſe* vocatur illa, quæ natura ſua ad effectum illum dirigitur, quem producit: ut ignis ad comburendum. Cauſſa vero *per accidens* cenſetur illa, quæ præter naturæ, aut operantis intentionem effectum producat: ut ſi venator feram jaculo interimere volens hominem occidat.

Cauſſa *generalis* dicitur illa, quæ plures effectus inter ſe ſimiles; *Particularis* vero, quæ unicum effectum producat.

Cauſſa *univoca* eſt illa, quæ effectum ſibi ſimilem producit: ut planta plantam aliam. *Æquivoca* vero, quæ effectum ſibi diſſimilem producit, ut artifex ſtatuam; ſolis calor ceram liquefacit, lutumque indurat.

Cauſſa *totalis*, & *adæquata* vocatur illa, quæ ſolitarie accepta integrum, totumque effectum producat; ut ſi currus ab uno equo, pondus ab unico homine moveatur. *Partialis* vero, vel *inadæquata* cenſebitur, ſi in producendo effectu cum altera cauſſa conjungantur, adeoque effectus ab utraque ſimul operante oriatur: ut ſi pondus idem à duobus hominibus feratur. Itaque, ut cauſſæ quædam, quæ in eodem effectu producendo ſimul conſpirant, *partiales*, & *inadæquatæ* cenſeri, vocarique poſſint, perſpicue requiritur ut ejuſdem generis ſint. Etenim, ſi diſparis diſtinctique generis forent, utraque *totalis*, & *adæquata* dicenda foret, atque ipſarum utraque totum integrumque effectum produceret. Ita ſinguli humanæ voluntatis actus toti à Deo, ſimulque toti ab

homine producuntur: quod operationes illæ, quæ à caussis creatis fiunt, totæ à Deo veluti caussa prima, simulque totæ à creata caussa, veluti secunda producantur; quemadmodum integer totusque effectus à principali, simulque instrumentali etiam caussa producitur. Itaque; si præceptor discipuli scribentis manuum dirigat, integri totique characteres ab utroque formabuntur.

VI. Denique effectrix, vel efficiens caussa respectu alicujus effectus aut vere *efficiens*, aut *occasionalis* solum censeri vocarique debet. Efficiens vereque effectus ejus caussa dicetur, si ad effectum ipsum producendum natura sua dirigatur, ipsumque virtute sua producat. Occasionalis verò vocatur illa, quæ quamvis effectum ipsum minime producat, efficientem tamen caussam excitat, determinat, impellit ad operandum; ideoque occasionem ipsi præbet ut suam virtutem exerat, ac effectum producat, qui sublata ejusmodi occasione minime produceretur. Ita panis, qui à cane conspicitur, excitat illum ad motum, ejusque motus caussa censeri, vocarique solet; cum tamen vera atque efficiens ejusmodi motus caussa sit vitale principium illud, quod in ipso cane reperitur, ejusque spiritus animales, musculos, ac pedes impellit. Sic, ut illustrius exemplum aliud hic proferam, Sacramentorum Ministri, quamvis à plurimis *efficientes* gratiæ caussæ dicantur, quæ in Sacramentis ipsis producitur, verisimilius tamen quod *occasionales* solum gratiæ, hoc est incorporei, mirique effectus, caussæ censeri illi debeant. Etenim ipsi veluti efficientes veræque caussæ corporeum effectum illum producunt, quo posito, veluti occasione, vel conditione quadam, incorporeus effectus alius à Deo veluti efficiente veraque caussa producitur, qui à cor-

porea

porea sive creata caussa produci non posset. Ita prodigia illa, sive miracula, quæ à Sanctis viris patrata memorantur, à solo Deo veluti efficiente caussa produci possunt, qui naturæ leges à se constitutas invertere, & abrogare potest; adeoque effectum producere, qui naturæ creatæ vires excedat, ejusque legibus adversetur. Si verò, quibus patrati prodigii gloria adscribi solet, veluti occasionales admirabilis hujus effectus caussæ censeri merito debent, quippe qui precibus, meritisque suis divinam clementiam, ac potentiam excitent ut effectum illum producat.

VII. Ad hæc ipsa Caussarum *occasionalium* genera revocari facile poterunt *conditiones* illæ, quæ necessario requiruntur, ut efficiens caussa vim suam exerat, & effectum producat: ut ignis comburere, novumque ignem producere non poterit, nisi lignum igni propinquum fiat. Itaque qui lignum igni admoverit, *occasionalis* combustionis caussa vocabitur; atque ignis proximitas dicetur *conditio*, *sine qua non* comburet ignis.

Maximo quoque optimoque jure referri etiam poterunt Caussæ illæ, quæ non *physice*, vereque virtute sua effectum producant; sed *moraliter* solum, communique loquendi more ad effectus productionem ita conferre videntur perinde quasi physice vereque ipsum producerent; adeoque *morales* ipsius caussæ vocantur. Ita qui homicidium imperet, aut consulat, *moralis* homicidii caussa vocabitur; unde, si leges ipsæ morumque regulæ spectentur, eadem prorsus in hoc imperio, consilioque gravitas reperitur ac si vere physiceque hominem perimeret; cum operis humani pravitas aut honestas in ipso voluntatis actu, liberaque ipsius electione posita sit, qua in actum aliquem legi contrarium,

aut convenientem inclinat, ut in Ethica demonstratur.

Itaque *morales* Caussæ, quæ ejusmodi ratione effectum producant, *cognitione*, simulque *libertate* præditæ esse debent; alioquin, si *necessariæ* illæ forent, neque morales caussæ vocari, neque actus ille morali bonitate, vel pravitate donari posset.

Liberæ autem caussæ dicuntur illæ, quæ ita operantur, ut etiam non operari possint, positisque omnibus, quæ ad effectum ipsum producendum necessaria sunt, adhuc indifferentes sint ut effectum ipsum producant, sive ab illo deflectant; atque ubi libere consultoque actum ipsum incœperint, illum abrumpere, & in oppositum actum inflecti possint; ut accuratius ostendetur ubi de humanæ voluntatis arbitrio, ejusque libertate differendum erit.

Necessariæ vero caussæ vocantur illæ, quæ ita operantur, actumque suum producunt, ut ab illo abstinere, aliterque operari non possint; ut ignis necessario calorem producit, corpora gravia necessario descendunt, apertis oculis ac intermedia luce necessario videmus &c.

VIII. Exinde vero jam facile intelligi, justisque finibus circumscribi poterunt quæcumque de *Ratione sufficienti* à Leibnitio, Volfio, aliisque pluribus tradita, magnificeque, liberius, ac interdum etiam impudenter constituta sunt. Etenim Leibnitius optime accurateque observavit quod ut effectus aliquis producatur, non modo singula quatuor Caussarum genera superius exposita, præsertim verò omnium princeps, & efficiens ipsius caussa requiritur; verum etiam ratio quædam concipi vel admitti debet, quæ effectricem caussam ipsam determinet ad operandum, ut ejusmodi ratione sublata effi-

efficiens caussa prorsus indifferens sit, ac effectus ipse non potius futurus quam non futurus concipiatur. Itaque ratio illa *sufficiens* ab illo vocata fuit quod ad caussam determinandam sufficiat, ejusque præsidio jam sufficiens ratio concipi, reddique possit cur effectus ipse vere possibilis, vere futurus, vereque productus sit. Itaque concludit Leibnitius neque Deum, neque humanos animos, neque caussam ullam, quæcumque fuerit, operari posse nisi præter agendi vim insuper etiam sufficientem quandam rationem habeat, qua determinetur ad operandum; ideoque, si Deus Mundum non ab æterno, sed in tempore, non infinitum, sed finitum, non alio, sed hoc potius ordine produxit, Leibnitius asserit id ex certa quadam sufficienti ratione pendere, qua Deus ipse hoc potius, quam alio, pacto operari debuerit; cumque sufficiens ratio, quæ Deum impellere, ac determinare potest, non alia esse potuerit, quam melioris, optimique conditio, nitide diserteque ille docet ex possibilibus omnibus illud à Deo factum esse, quod *optimum*, ac *perfectissimum* foret: adeoque non aliud, quam quod factum fuerit, à Deo produci potuisse, Deumque ipsum nec alia ratione operari, nec alia rerum genera, nec alium rerum ordinem efficere potuisse, quam illum, quem actu produxerit; quemadmodum fere Spinosa ipse jam dixerat (*a*) quod *res nullo alio modo, neque alio ordine à Deo produci potuerunt, quam sunt productæ*. Hoc ipsum quoque *Rationis sufficientis* principium, quod à Leibnitio omnium primo subtiliter excogitatum, atque feliciter usurpatum

(*a*) *Ethic. Part. 1. prop. 33. 43. 45.*

tum esse putavit, veluti uberrimum cognitionum nostrarum fontem arripuit Volfius, ejusque principii leges, atque usum in universa fere Metaphysica prolixius, atque liberius exposuit.

IX. Ac primo quidem quod Volfius, aliique plures *sufficientis rationis* ideam, cognitionem, atque usum Leibnitio omnium primo affulsisse existimant, facile id plurimis Veterum testimoniis, & exemplis refelli potest, qui sæpissime principium illud accurate feliciterque usurparunt. Sic, ut exemplum unum hic proferam: Archimedes, aliique plurimi veluti certum, atque exploratum supponunt quod æqualia pondera in bilance posita, & ex æqualibus distantiis suspensa omnino quiescere, vel in æquilibrio esse debent quod nulla sufficiens ratio concipi, vel esse possit cur pondus unum alteri prævaleat, adeoque unum potius, quam aliud, moveri deprimique debeat. Ita Parmenides, ac Democritus, ut ostenderent Tellurem in Universi medio immotam quiescere, hoc ipso *rationis sufficientis* principio usi sunt, quod nimirum nulla prorsus ratio effingi possit cur Tellus ipsa in unam potius, quam in aliam, partem vergere, vel inclinare deberet: *dicunt quod, cum æqualiter undequaque à Cælo distet, adeoque, cum non habeat caussam, propter quam huc potius, quam illuc vergat, Tellus in æquilibrio permanet.* (a) Quinetiam plurimos hoc ipso *rationis sufficientis* principio abusos esse conspicimus, ut quingentis annis ante Leibnitium ipsum assererent quidquid à Deo productum fuerit, optimum, ac perfectissimum esse

(a) *Plutar. de Plat. Philos. Libr. 3. cap. 15.*

esse oportere; adeoque ostenderent Deum aliter operari non potuisse, quam fuerit operatus, nihilque à Deo fieri potuisse; nisi quæ facit. (a)

X. Ceterum, ut error omnis, qui ex ejusmodi principio oriri facile posset, nisi cautissime adhibeatur, adeoque omnis etiam ambiguitas dirimatur, observari plurimum debet quod ejusmodi *rationis sufficientis* principium in caussis illis ritè, feliciterque usurpari poterit, quæ *necessariæ* sint, ideoque effectum suum non *libere*, sed constanter ac *necessario* producunt. Itaque nihil in rebus illis, quæ libertate, & arbitrio destitutæ sunt, existere, & admitti potest; nisi sufficiens quædam ratio perspicue appareat cur illud existere potius, quam non existere, debeat; nullus effectus à caussa quadam vere productus censeri poterit, quæ natura sua indifferens esse debeat, nisi prius indifferens illa agendi vis ab extrinseco quodam principio inclinata ac determinata fuerit ad operandum; atque, ubi nulla prorsus ejusmodi *sufficiens ratio* concipi, afferri, vel ostendi possit; cujus præsidio effectus ipse potius productus, quam non productus, itidemque potius producendus, quam non producendus, ostendatur, effectus illius existentia vel omnino falsa, vel dubia censeri debet.

XI. Ubi vero de caussis illis disseratur, quæ libertate, & arbitrio præditæ sunt, suaque natura ad oppositos actus indifferentes esse debent, sufficiens illa ratio, quæ ipsarum indifferentiam determinet, non aliunde, quam ex intrinseca ipsarum libertate, liberaque electione repeti, oriri, vel inquiri pote-

(a) *Vid. Monigl. advers. Material. Tom. 2. pag. 152.*

poterit, qua sese ad unum potius, quam objectum aliud, inflectant. Etenim quæcumque demum ratio, quæcumque objecti cogniti bonitas, atque amabilitas observetur, quæcumque cupiditas, aut amor in voluntate libera excitetur, ejusque vim ad unum potius, quam actum alium, alliciat, inclinet, ac veluti abripiat, semper tamen agendi vis, quæ in caussa libera reperitur, indifferens esse debet; nec ulla ratio sufficiens esse poterit, quæ caussam ipsam determinet, nisi libera ipsius electio, qua ita objectum unum amplectatur, ut aliud etiam eligere, vel amplecti possit. Quod si in creatis etiam rebus, quæ vere liberæ sint, sola ratio sufficiens eligendi est libertas illa, atque arbitrium, quo præditæ sunt, quis aperte non videat quod in ipso Deo nulla prorsus *ratio sufficiens* effingi potest; quæ ipsum impulerit ad operandum, nisi perfectissima, atque infinita libertas illa, quæ in ipso infinitæ sapientiæ, bonitati, potentiæ conjuncta reperitur? Itaque nulla ratio sufficiens aut concipi, aut inquiri, aut afferri poterit cur hoc potius, quam alio, modo res produxerit, nisi quod ita voluit; cur hæc potius, quam alia, entium genera creaverit, nisi quod ita voluit: ut optime proinde intelligi, dicique debeat, quod alio prorsus producere, alio prorsus modo operari potuisset, si id libero ipsius arbitrio libuisset. Sed hæc, aliaque id genus plura fusius, & opportunius ostendentur ubi de humanæ voluntatis arbitrio, ipsaque Dei libertate suis in locis agendum erit.

XII. Interim vero coronidis loco addidisse juverit quod effectus omnis in caussæ suæ *potentia* aliqua ratione contineri debet, ut ab illa produci possit; quamvis interdum *formaliter*, interdum vero *eminenter* solum,

aut

aut *virtualiter* effectus ipse in caussa contineri dicatur. Etenim, si effectus ille caussæ similis sit, adeoque ipsius essentia, intrinseca nempe & essentialia attributa, in ipsa quoque caussa reperiantur, tunc effectus in caussa *formaliter* contineri dicitur; ut filius in patre, novus ignis in veteri &c. Sin vero effectus ipse caussæ dissimilis sit, diversaque prorsus essentia præditus fuerit, sed caussa tamen, quæ illum produxerit, virtutes omnes, & perfectiones contineat, quæ in ipso reperiuntur, adeoque potentiam, & agendi vim complectatur, quæ singulis effectus perfectionibus producendis par esse possit, tunc effectus *eminenter* solum, aut *virtualiter* in caussa sua, sive causæ potentia contineri dicitur. Ita, cum Deus possibiles omnes creatarum rerum perfectiones uberrime in se complectatur, atque infinita prorsus potentia præditus sit, creatos effectus omnes non *formaliter*, sed *eminenter* solum complecti dicitur; quemadmodum fere artifex ipse picturam, aut statuam, quam effinxerit, in virtute, sive potentia sua continere censetur.

XIII. Atque ex hac ipsa ratione, vel modo, quo causa quælibet antequam effectum suum produxerit, ipsum in essentia, sive *potentia* sua complecti, vel continere dicitur, varietas alia, sive distinctio deduci solet, qua causa ipsa vel *in actu primo*, vel *in actu secundo* concipitur. Etenim, si effectus ipse in sola causæ potentia adhuc contineatur, adeoque causa operandi quidem potentia prædita sit, sed nondum aliam exerat, nec effectum ipsum producat, tunc illa *in actu primo* concipitur, sive in actu primo operativa censetur. Sin vero effectus ipse nunc producatur, adeoque ab actu primo ad secundum, sive à *potentia* ad *actum* transfe-

ratur, tunc eadem caussa *in actu secundo* concipitur, sive in actu secundo efficiens, ac operativa censetur.

XIV. Ita quoque ex hoc ipso fonte, sive ratione, qua effectus aliquis ex ipsa caussæ potentia prodire dicitur, discrimen illud oriri, vel observari facile poterit, quo effectus ipse aut actio, qua producatur, interdum *immanens*, interdum *transiens* appellatur. Si terminus ille, ad quem caussæ operantis actio dirigitur, hoc est effectus ipse, qui producatur, in ipsa caussa veluti subjecto remanet, tunc effectus, aut actio *immanens* vocatur: ut *perceptio*, & *amor*, qui ab humana mente productus fuerit, in ipsa mente, veluti ipsius affectiones, remanent. Sin vero terminus ille, qui ab actione producitur, ab operante caussa distinguatur, adeoque effectus ipse in extrinseca distinctaque re veluti subjecto producatur, effectus, & actio quoque *transiens* vocabitur: ut cum ab homine motus lapidi imprimitur.

ME-

METAPHYSICÆ

PARS SECUNDA,

SIVE

PNEUMATOLOGIA, AUT PSYCHOLOGIA, AUT NOOLOGIA.



Ommunibus Entium omnium principiis, & affectionibus, quæ singulis rerum generibus inesse solent, meliori quo poterat ordine jam demonstratis, altera Metaphysicæ Pars explicanda nobis occurrit, in qua juxta seriem, atque ordinem superius constitutum de *Creatis Spiritibus*, præsertim vero de *Mentis Humanæ* natura, ejusque viribus, ac attributis agendum erit; ut exinde ad tertiam, supremamque Metaphysicæ Partem, adeoque ad accuratam Dei cognitionem quibusdam veluti gradibus ascendatur. Itaque hæc altera Metaphysicæ nostræ Pars communiori quidem nomine *Pneumatologia* inscribi solet, quod in illa de creatis Spiritibus disseratur; sed plerumque tamen *Psychologiæ* nomine vocari consuevit, quod in illa *Animi*, vel *Humanæ Mentis* natura accuratissime demonstretur; ideoque à pluribus clariori quodam, distinctoque nomine *Noologia*, Mentis nimirum cognitio, vel scientia appellatur; ut ab illa Physicæ Parte distingui possit, in qua de variis *Animæ* generibus disputatur. Quanta vero cognitionis hujus utilitas, vis, ac præstantia esse debeat, facile profecto intelliget quicumque observaverit incorporeæ substantiæ, Animique nostri naturam ceteris

crea-

creatis rebus puriorem longeque nobiliorem esse oportere; simulque perspexerit nihil absurdius esse posse, quam si humanus animus exteriora objecta, vel corpora contempletur, seipsum vero, naturamque suam, originem, vires ignoret. Accedit etiam quod ex perspicuis Animi nostri dotibus, præsertim vero ex ipsius *spiritualitate*, atque *immortalitate*, ex arbitrii vi, seu *libertate*, quæ rite accurateque demonstratæ jam fuerint, plurima veluti ex fonte dimanant, ex quibus universa fere morum doctrina, humanorum actuum honestas, legum robur, sincera denique hominum felicitas oritur; ut optimo proinde jure Mentis humanæ cognitio veluti præcipua Ethicæ, veræque Religionis origo, & fundamentum haberi consueverit. Ita verò universam hanc Metaphysicæ partem, Animique nostri cognitionem brevissime complectemur, ut initio quidem de Animi ipsius *natura*, ac *origine* disseratur; deinde verò ipsius *spiritualitas*, atque *immortalitas* ostendatur; singulæ ipsius *facultates*, & agendi vires, hoc est intelligendi ratio, & arbitrii libertas mox demonstrentur; arcanæ denique leges, ac modus ille indicetur, quo incorporeus, ac perennis Animus mortali corpori conjungatur. Quandoquidem vero ad hanc ipsam Metaphysicæ partem ea omnia referenda esse jam diximus, quæ de creatis *Spiritibus* aliis, nimirum de *Angelis*, solo rationis lumine cognosci possunt, supremo tandem loco de *Angelis* ipsis brevissime agendum erit.

CA-

CAPUT I.

De Mentis humanæ natura, & origine.

I. SI Mentis humanæ cognitio ex plurimis veterum Philosophorum sententiis repetenda foret, Animique nostri vis, & origo ex variis illorum opinionibus explicanda, facile cum Heraclito, (a) aliisque pluribus suspicari quis posset ipsius naturam abstrusam adeo, & obscuram esse oportere, ut omnis illius inveniendæ spes nobis adempta videatur, cum maxima, ac infinita fere varietas in sententiis illis appareat.

In hac ipsa tamen admirabili opinionum varietate facile intelligi, vel observari poterit quod ipsarum plurimæ absurdæ adeo sunt, ut contemni potius, ac irrideri, quam serio refelli debeant; quemadmodum sane deprehendi vel observari poterit quod illustriores omnes Philosophi, licet obscurius sententiam suam expresserint, in hoc tamen mirifice consensere, ut Animi naturam incorpoream, ac immortalem esse putaverint, ut sequenti Capite mox ostendetur.

Antequam tamen *Spiritualitas* illa, ceteræque Mentis humanæ dotes, affectiones, vires, ac munera demonstrentur, ipsius indoles, natura, & existentia demonstrari nunc debet, ut exinde singulæ ipsius affectiones clariori quo poterit ordine deducantur.

II. Itaque *Animi*, vel *Mentis humanæ* nomine nihil aliud intelligi, vel designari solet,

(a) *Apud Laert. Libr. 9. segm. 7. Tertull. de Anima cap. 2.*

let, quam principium illud, quod in homine reperitur, ut ipsius præsidio ille cogitet, verum intelligat, bonum velit, sibique ejusmodi *cogitationum*, *perceptionum*, ac *volitionum* conscius sit: ut quemadmodum nempe nostrum quilibet admirabili quadam partium textura, sensuum varietate, gravitate, figura, motu, aliisque id genus corporeis affectionibus motus varios, variosque corporeos actus producit, ita quoque Mentis, aut Animi præsidio, veluti puriori quodam distinctoque principio, nobiliores actus alios superius memoratos efficiat, qui neque à corporea substantia, neque à corporeis ullis affectionibus oriri possint. Hinc principium illud, quod ejusmodi *cogitationum* caussa, fons, & origo esse debeat, *Rationalis Anima* vocari etiam solet, quod nimirum incorporeæ cognitionis, aut rationis capax sit; adeoque perspicuo certoque discrimine ab *Anima* distinguatur, quæ corporeis quibusdam rebus adscribi solet, cum *Planta* quoque, ac *Bruta* peculiari quodam *Animæ* genere præditæ existimentur.

Ita propemodum à Græcis (*a*) *Animus* ab *Anima* distingui, distinctoque nomine vocari solet; ut solo quidem Ψυχῆς *Animæ* nomine *Vita*, ac inferior illa *Animæ* species designetur, quæ alterno aeris inspirati, ac respirati motu fovetur, alitur, ac conservatur: peculiari vero nomine Νῦς *Mens* appellatur nobilior altera vitæ, vel Animæ species, quæ ratione prædita sit, adeoque *intelligere*, atque *amare* potest. Itaque à Latinis etiam *Animus* ipse ab *Anima* distingui solet;

(*a*) Vid. Plat. in Phad.

let; * ut optime proinde dixerit Macrobius: (a) *Animus proprie Mens est, quam diviniorem Anima nemo dubitavit*; ac Lucretius ipse, quamvis *Animum* corporeum, ac mortalem esse putaverit, ipsum tamen ab *Anima* distinguendum esse demonstravit (b)

Unde Anima, atque Animi constet natura videndum.

III. Ejusmodi vero principium, sive Animum, aut Mentem in nobis existere, quæ in nobis ipsis intelligat, ac velit, simulque eorum actuum sibi conscia sit, intimo vividoque sensu percipimus; ut nihil proinde certius, aut evidentius effingi possit. Itaque præclare dixit Aphrodisæus (c) Animum esse γνωριμώτατόν τε, ϗ φανερώτατον *rem* nempe *maxime cognitam, ac manifestam*: quemadmodum enim nihil omnino perspicuum magis, ac exploratum esse potest, quam nos cogitare dum cogitamus, aliquid velle cum volumus, percipere, dubitare, recordari; cum percipimus, dubitamus, recordamur; ita quoque perspicuum nobis certumque esse debet principium illud in nobis existere, quo singulæ operationes, & actus illi in nobis peragantur.

Hinc optime, accurateque Cartesius observavit quod, quamvis aliquis de rebus omnibus, atque de ipsa quoque existentia sua dubitare conetur, ex hac ipsa tamen dubitatione, vel cogitationis genere, quam intimo

---

* Non est idem Anima, & Mens; aliud est enim, quo vivimus, aliud quo cogitamus. *Lact. Divin. Inst. lib. 7. cap. 12.*

(a) *Somn. Scipi. cap. 14.*

(b) *Lib. 2. vers. 132.*

(c) *De Anima lib. 2. cap. 1.*

timo quodam vividoque sensu percipiet, manifestissime inferre debet rem, aut Animum, aut Mentem cogitantem existere; cum certe nihil aut operari, aut cogitare, aut percipere, aut dubitare unquam possit, nisi prius existat, & cogitandi vi, sive principio præditum sit.

IV. In eo tamen Cartesius ipse a ceteris Philosophis omnibus distingui debet, quod ceteri quidem *cogitationem* omnem, quæcumque illa fuerit, nihil aliud esse arbitrantur, quam affectionem quandam, modificationem, & actum, qui ab humana Mente, veluti substantia producatur, quæ cogitandi vi prædita sit, & cogitationem ipsam exerere subinde possit; ut proinde *cogitatio à re cogitante* distingui debeat. Cartesius vero cogitationem ipsam à re cogitante distinguendam esse negavit; atque Animi, sive Mentis humanæ naturam, ac essentiam in hac ipsa cogitatione positam esse putavit; quemadmodum prorsus Corporis naturam in *actuali extensione*, vel *trina dimensione* collocatam esse jam dixerat, ut opportunius alibi demonstravimus. Itaque Cartesius ex ejusmodi Animi natura à se constituta necessario deduxit quod Animus ipse semper aliquid operari, vel cogitare debet, atque à perenni cogitatione cessare, sive desistere non potest; ideoque tum somni, tum infantiæ, tum ebrietatis tempore semper aliquid ab Animo percipi, vel agitari putavit. Qua quidem in re Cartesio præluxisse videntur Veteres illi, qui perennem, æternumque motum Animo concessere: perinde quasi ipsius natura in hoc uno perenni motu consisteret. Ita Pythagoras (*a*) Animam esse dixit

(*a*) *Plutarc. de Plat. Philos. Lib. 4. cap. 2.*

xit *ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα* *numerum seipsum moventem*; Thales *φύσιν ἀεικίνητον* *substantiam perenni motu agitatam*; adeoque motum illum ab Anima divelli non posse putarunt. Ita Philo Judæus (*a*) ait quod, si Animæ ipsi *τὸ ἀεικίνητον* *perpetuum motum ademeris*, *ipsam quoque eximas rebus*, ut amplius existere, vel comprehendi non possit.

V. Sed hæc Cartesii, VVolfii aliorumque opinio facile refelli potest. Etenim, ut celebre effatum à Philosophis omnibus receptum habet, *Operari sequitur ad esse*; ideoque cogitatio, quæ actus aliquis, aut operatio esse debet, supponit esse, aut ens illud, quod cogitat; hoc est ipsa Mens cogitandi capax concipi debet antequam illa hanc suam cogitandi vim exerat, & actu cogitet; cum præsertim Deus solus, qui mira ac infinita simplicitate, & perfectione præditus est, ab actu suo non distinguatur; creatæ verò res, quæcumque illæ fuerint, partim *actu*, partim *potentia* componantur; adeoque in illis *potentia* ab *actu*, operandi vis, ac substantia quæ operetur, ab operatione distingui debeat. Accedit etiam quod cogitationes illæ, quæ ab homine producuntur, dissimiles omnino, variæque sunt; ut interdum una, interdum alia ab Animo producatur, Animusque ipse ex unius objecti cognitione, & amore ad objectum aliud repente rapi, vel convolare videatur. Itaque nulla peculiaris cogitatio tanquam Animi essentia haberi poterit; alioquin essentia illa variabilis, multiplex, inæqualis, diversa foret, cùm tamen intima rerum indoles ac natura semper eadem, constans, ac invariabilis esse debeat. Quod si fortasse cum Cartesio

(*a*) *Libro de Mundi incorrupt.*

tesio quis dixerit Animi naturam atque essentiam non in peculiari quadam, distinctaque cogitatione collocatam esse, sed cogitationes omnes complecti, adeoque ex illis omnibus una conjunctis oriri, reponi facile poterit quod in hac hypothesi Animus ipse ex pluribus ac infinitis partibus constaret, quod incorporeæ ipsius naturæ repugnat. Deinde vero, sicuti quælibet peculiaris cogitatio Animi essentia censeri non poterit; ita quoque cogitationum omnium complexus essentiam illam componere, vel efformare non poterit; alioquin, sicuti cogitationes ipsæ variis subinde temporibus in nobis peraguntur, ita quoque Mentis, Animique natura sensim augeri, novisque veluti partibus effingi deberet. Plurima quoque ex Cartesii sententia perspicue deducuntur, quæ, licet à Cartesio facile concedantur, falsa tamen, ac absurda censeri debent. Ita communis, & optima Philosophorum omnium, ac Theologorum sententia est quod infantiæ, vel ebrietatis, vel somni, vel amentiæ tempore nulla prorsus cogitatio, nulla nimirum spiritalis, & incorporea perceptio, ab Animo producatur; adeoque operationes illæ, quæ tunc temporis in homine peraguntur, neque *bonæ*, neque *malæ* esse possint. Denique occulto quodam, atque admirabili fœdere ita Mens nostra humano corpori conjuncta fuit, ut nihil percipere, cogitare, vel amare possit, nisi rerum ideæ vel ab ipsa Mente sensuum præsidio formatæ fuerint, vel à sensibus excitatæ, ut Cap. VI. ostendetur. Ergo perceptio, quæ ab extrinsecis principiis illis oriri, sive pendere debet, semper Animo inesse, ejusque ipsius naturam, ac essentiam constituere non poterit. (*a*)

VI. Ita-

(*a*) *Vid. Locki. lib. 2. cap. 1.*

VI. Itaque cogitatio nihil est aliud, quam affectio quædam, proprietas, actus, & operatio; quæ Menti cogitanti inesse, vel ab Animo cogitante produci debeat; adeoque character, quo Mens ipsa à Corpore, sive à substantia cogitandi viribus destituta perspicue distinguatur. Hinc Animus ipse nihil aliud erit, quam substantia quædam, quæ ejusmodi cogitandi vi prædita sit, adeoque cogitationes illas in homine producat. Hinc optime, accurateque ait Augustinus: (a). *Si definiri tibi Animum vis, & ideo quæris quid sit Animus, facile respondeo: nam mihi videtur esse substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata*. Atque optime quidem Animus *substantia* vocatur quod ille operandi vi præditus sit, plurimosque actus exerat, quod uni substantiæ, non vero modo, vel accidenti convenire potest. *Rationis particeps* appellatur quod ita profecto cogitet, ut ejusmodi cogitationis sibi conscius sit, cogitationem unam ex alia deducat, adeoque ratione præditus videatur. Denique *regendo corpori accommodatus* ille dicitur, quod miro quodam, ac libero divini Opificis consilio humano corpori conjunctus fuerit; adeoque hoc ipso veluti discrimine non solum à Deo, sed ab Angelis etiam, creatis nempe Spiritibus aliis, distinguatur, qui, quamvis incorporeæ, & rationales substantiæ dicantur, nullo tamen fœdere, aut ordine ad humana corpora diriguntur, ut una cum illis compositum aliquod efformetur.

VII. Quod autem ad humanæ Mentis originem attinet, aut modum, quo humano cor-

---

(a) *De Quant. Anim. num. 12. al. cap. 13.*

corpori conjungatur, antiquissima Ægyptiorum sententia fuit, quod olim Animi ex æthere, Universi Anima, sive ab ipsa divina substantia decerpti, ac delibati, forent, humanisque corporibus ita conjuncti, ut cum corpus aliquod fatiscentibus viribus effectum jam foret, vitiataque jam & destructa partium textura vitalibus actibus peragendis impar ineptumque fieret, ac moreretur, Animus ex illo moriente corpore in corpus aliud migraret. (a) Hypothesim, ac opinionem illam Pythagoras ab Ægyptiis ad Græcos transtulit, ac mirifice propagavit, ut à Cicerone, Laertio, (b) Ovidio, (c) aliisque pluribus erudimur, qui Pythagoricam hanc *Metempsychosim*, sive *Animorum transmigrationem* uberrime declararunt, simulque caussas indicarunt cur humanus Animus aliquando non humano solum, sed bruto quoque corpori, aut Plantæ conjungeretur.

Plato * verò divinam Mentem, ac Universi Animam ita singulas Universi partes aut corpora singula pervadere existimavit, ut pro varia corporum ipsorum indolo; textura, ac dispositione varios in illis actus, ac motus produceret; quemadmodum fere

Ani-

(a) *Vid. Herod. Lib.* 2.
(b) *Lib.* 8. *segm.* 4. & 32.
(c) *Metam. Lib.* 15. *ver.* 158.

* Esse apibus partem divinæ Mentis, & haustus Æthereos dixere, Deum namque ire per omnes Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum. Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum. Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas. *Virgil. Georg. Lib.* 4. *ver.* 219.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. *Æneid. Lib.* 6. *vers.* 720.

Animus ipse dum varias corporis humani partes pervadit; varios in ipsarum singulis actus producit, ut in osse nutriat, in carne sentiat &c. Itaque Plato humanos Animos nihil aliud esse putavit, quam *æthereum haustum*, sive, ut ait Horatius, (*a*) *divinæ particulam auræ*, divinæ nimirum Mentis, aut substantiæ partem; quod à Manichæis etiam Hæreticis, aliisque pluribus admittebatur. (*b*) Origenes autem, Tertullianus, (*c*) aliique plures Ecclesiæ Patres, (*d*) ut originalis peccati, quo universi Adæ posteri infecti, vitiatique sunt, diffusionem, ac veluti propagationem facilius exponerent, existimarunt humanos Animos ex parentibus in filios traduci; ut quemadmodum nempe ex accensa face ignis in faces alias diffunditur, traducitur ac propagatur, ita quoque parentum Anima in filios traduci, diffundi, vel propagari posset.

VIII. Sed opiniones illæ manifestissime refelli debent. Siquidem ægritudines, errores, ac innumera propemodum vitia, quæ in humanis Animis observantur, ipsa quoque Animorum varietas, atque distinctio perspicue ostendunt Animos ipsos divinæ substantiæ partem esse non posse; alioquin in Deo mira partium varietas, mira affectuum, errorum, malorum colluvies admittenda foret, quod ab incorporea, simplici, omniscia, perfectissimaque ipsius natura maxime abhorret. Ita quoque cum Animus ipse incorporeus sit, ut inse-

(*a*) *Lib. 2. Satyr. 2. ver. 79.*

(*b*) *Vid. Hierony. Epist. 82. & August. Libr. de Heres.*

(*c*) *De Ani. cap. 7.*

(*d*) *Vid. Noris. Vindic. Aug. cap. 4. §. 3.*

inferius ostendetur, nullisque partibus componatur, varias in partes dividi, diffundi, vel propagari non potest; ideoque Animus unus ex alio decerpi, traduci, vel propagari certe non poterit. Quid vero quod hæc ipsa hypothesis, atque animorum origo, quæ *originis* peccato ejusque diffusioni facilius explicandæ proposita, ac inventa fuit, absurda plurima complectitur, neque peccatum illud in singulos omnino homines diffundi posse probaret? Certe, qui à parentibus jam baptizatis orirentur, ejusmodi labis expertes essent; nihilque prorsus effingi, vel afferri poterit cur si originis peccatum ex parentibus in filios traduci debeat, virtutes etiam, ac vitia, ceteræque affectiones omnes, quibus parentum Anima imbuta fuerat, in filios una cum Animi substantia, & originali peccato traduci, diffundique non debeant. Itaque Animorum origo alio prorsus ex fonte deduci, ejusque peccati propagatio alia prorsus ratione explicari debet, ut à Theologis, divinarumque Litterarum Interpretibus factum esse conspicimus.

IX Quo ad Philosophos attinet, perspicue certoque defendi debet quod Animorum origo non alio prorsus ex fonte, caussa, principio deduci poterit, quam ab ipso Deo, (*a*), qui eorum singulos infinita vi sua ex nihilo repente eduxerit, atque admirabili quadam lege, inferius explicanda corpori humano conjunxerit. Etenim, si humanus Animus incorporeus, & partium expers esse debet, ut proximo Capite demonstrabitur, ille ex materia quadam aut subjecto præexistente educi, compingi, formarique non pote-

(*a*) *Vid. Lact. de Opisc. cap.* 19.

poterit; sed solum ex nihilo repente educi, hoc est à nihilo, sive à *non esse* ad *esse* transferri debebit, quod nulli creatæ finitæque caussæ, sed infinitæ solum potentiæ, divinæque caussæ concedi poterit. Hinc optime à Plutarcho quoque Ethnico viro dictum fuit quod *πᾶσα ψυχὴ γέννημά ἐστι Θεοῦ Anima qualibet opus est Dei*; Aristoteles perspicue diserteque testatur quod Mens humana *extrinsecus advenit, ac divina est*; (a) atque Aratus (b) de Jove, supremoque Numine loquens ait: Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν *nam & ipsius genus sumus*: quod Paulus (c) Apostolus usurpavit ut humanos Animos à solo Deo productos esse probaret; quemadmodum sane in Sacris Litteris (d) dicitur quod cum Deus humanum corpus ex limo finxisset, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, alibique dicitur quod moriente homine *revertetur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redibit ad Deum, qui dedit illum*. (e)

X. Quo vero tempore Animus ipse à Deo creatus fuerit, variis omnino rationibus à variis Philosophis explicatur. Etenim, ut obscuriores, levioresque sententias alias dissimulem, Plato (f) putavit humanos Animos ab æterno creatos, ac in aliqua Cœli parte, præsertim verò in sideribus collocatos fuisse, ut ibi incorporeis rerum ideis sibi impressis intenti perenni quadam cognitione fruerentur. Ubi vero corpus aliquod genitum

(a) *De Gen. Anim. Lib. 2. cap. 3.*
(b) *Phan. ver. 5.*
(c) *Act. Apost. cap. 17. ver. 28.*
(d) *Genes. cap. 2. ver. 7.*
(e) *Ecclesiast. cap. 12. ver. 7.*
(f) *Vid. Gassend. Lib. 3. cap. 1.*

tum riteque dispositum foret, Animus quidam ex sidere descendens ipsi conjungebatur, iterumque moriente corpore ad sidus redibat. Origenes (a) Animos, ante corpora extitisse dixit: Nemesius, (b) Synesius, (c) aliique Veteres Animos omnes in ipsa Mundi origine creatos esse putarunt, quod, superiori etiam seculo nostraque hac ætate Leibnitius, ac VVolfius existimarunt.

Communis est tamen Philosophorum, ac Theologorum omnium opinio humanos Animos tunc solum incipere è nihilo educi, sive creari, cum humano corpori conjunguntur novusque homo genitus existimatur. Id facile ex Sacris Litteris, Christianæque doctrinæ dogmatis à Theologis demonstratur. (d) Quod vero ad Philosophos, purumque rationis lumen spectare potest, illud unum hic observasse nunc juverit, quod nulla prorsus *sufficiens ratio*, vel caussa à Philosophis illis allata fuit, vel afferri unquam poterit, qua perspicue ostendatur humanos Animos ante corpora extitisse; adeoque, si nihil turpius est Physico, quam sine caussa aliquid fieri dicere, nihil est certe cur Animi ante corpora extitisse fingantur. Accedit etiam quod humanus Animus regendo corpori accommodatus, vel destinatus esse conspicitur; adeoque longe verisimilius videtur ipsum tunc solum à Deo creari cum corpori conjungi debet, quamvis ex indole, naturaque sua morienti corpori super-

per-

(a) *Hieron. Epist. ad Pammach. Vid. Huet. in Origen. lib. 2. q. 6.*

(b) *De nat. hom.*

(c) *Epist. 105.*

(d) *Vid. S. Hieron. adv. Ruffin. Apostol. 2.*

perstes sit futurus. Denique in Leibnitii, aliorumque sententia, difficultates, incommoda, & absurda plurima occurrunt; nihilque prorsus in opposita hypothesi experimento vel rationi contrarium reperitur; adeoque hæc altera opinio, Origenis, Leibnitii, aliorumque sententiæ præferri debet.

CAPUT II.

De Animi spiritualitate.

I. EX Animi natura superius exposita facile ipsius affectiones, ac dotes omnes perspicua quadam, nativaque serie deduci possunt; præsertim verò quod ille incorporeus, spiritalis, simulque perennis, incorruptibilis, & immortalis esse debeat. Ejusmodi vero Mentis humanæ dotes, ex quibus ceteræ, veluti fonte dimanant, hìc unà complectimur, quod illæ arctissimo fœdere inter se conjungantur, atque ipsarum una ex altera necessario consequatur.

II. Atque ut ab ipsa Mentis humanæ *spiritualitate* exordiamur, ipsius substantiam prorsus incorpoream, materiæ expertem, ac spiritalem esse oportere ex variis ipsius operationibus, nimirum ex variis cogitationum generibus manifestissime deduci potest. Etenim perceptio, vel cogitatio, quæcumque illa fuerit, à corpore, aut à corporeis affectionibus oriri certe non poterit. Siquidem affectiones omnes, quæ corpori inesse, vel in corpore concipi possunt, adeoque in nitida, perfecta, distinctaque *corporis* idea continentur, ex quantitate, extensione, variisque partibus oriuntur, quibus corpus ipsum componitur; unde *figura*, *motus*, *ordo*, ceteræque proprietates omnes, aut modi, quibus corporea substantia ornari, variarique

posse concipitur, ex partibus ipsis inæquali, variaque lege dispositis oriri debent, ut in Physica demonstratur. Itaque, si cognitio à corporea substantia produci posset, illa ab extensione, motu, figura, vel ordine produceretur, quo tenuissimæ corporis partes dispositæ, agitatæ, conjunctæque forent; ideoque nobiliora quædam, ac puriora corpora cogitandi vi prædita censerentur quod illa subtilioribus partibus, tereti, mobilique mole, ac figura, mira denique textura, vel ordine composita viderentur. Quis vero, si nitidam, accuratam, distinctamque *cogitationis* ideàm formaverit, illam à corporeis partibus, ab ipsarum figura, motu, vel ordine exsculpi possè putaverit? Quis ullam corporis, aut materiæ partem ita concidi, tenuari, disponi, percelli, vel agitari posse concipiat, ut illa tandem motum hunc suum percipiat, aliarumque partium aut corporum motus, figuras, & affectiones alias cognoscat? Quis in tenuissima lucis, ætheris, ignis, spirituum animalium substantia, quæ mira certe subtilitate, motuque celerrimo prædita sit, cogitandi vim inesse posse concipiat, cum *cogitationis* idea ab *extensionis*, *motus*, *figuræ*, aliarumque affectionum idea prorsus abhorreat; tantumque absit ut ideæ illæ una confundi, aut aliquo fœdere conjungi possint, ut una potius alteri repugnet, una alteram excludat, una denique alteram destruere videatur?

III. Hæc ipsa cogitantis substantiæ, corporisque distinctio ex variis quoque planeque contrariis affectionibus evinci potest, quæ *cogitationi*, corporique, sive *materiæ* conveniunt. Etenim materia, sive corporea substantia sine pluribus, ac infinitis etiam partibus esse, vel concipi non potest; sed quæcumque vel tenuissima materiæ particula,

quæ

quæ ab intellectu nostro percepta fuerit, partibus aliis in infinitum divisibilibus constare debet, ut in Physicis, ac Mathematicis demonstratur, adeoque extensio, ac divisibilitas, quamvis cum Cartesio corporis *essentia* censeri non possit, aliqua tamen affectio, modus, character, proprietas esse debet, quæ cuilibet materiæ parti necessario, ac inseparabiliter inesse debeat. Sin vero cogitationis indoles, atque natura subtilius exploretur, illa omnino simplex partium omnium expers, ac indivisibilis esse concipitur; adeoque non successive, sed repente potius, ac temporis momento, in nobis peragitur; ac, licet in indiciis quibusdam, ratiocinationibus, ceterisque cogitationum generibus, quæ simplicibus aliis composita sint, quædam partium varietas, hoc est perceptionum numerus, haberi secernique possit; in ipsa tamen objecti unius perceptione nulla partium varietas, ac divisibilitas effingi potest. Ergo si proprietates illæ, intimæque affectiones, quæ corpori, adeoque corporeis etiam affectionibus inesse debent, ab iis omnino dissident, quæ cogitationi inseparabiliter, intime, ac necessario conveniunt, quis aperte non videat ipsas quoque substantias, ex quibus affectiones illæ veluti fontibus oriuntur, omnino dissimiles, contrarias, ac distinctas esse, adeoque humanos Animos omnino incorporeos, ac spiritales esse oportere?

IV. Ac certe quidem, si Mentis humanæ substantia corporea, variisque partibus una conjunctis composita foret, adeoque cogitatio à Materia, pluribusque Materiæ partibus oriri posset, ejusmodi cogitatio vel ab una solum materiæ parte, vel à partibus omnibus una collectis oriretur. Si fortasse quis dixerit cogitationem non à pluribus, sed ab

una ſolum Materiæ, ſive Animi corporei parte produci, perſpicue apparet id temere prorſus effingi, cum partes omnes, quibus integra Mentis humanæ ſubſtantia conflata foret, extenſæ ſubtilioribus partibus aliis in infinitum uſque diviſibilibus compoſitæ ſint, adeoque ipſarum quælibet iiſdem viribus prædita cenſenda ſit; nihilque proinde eſſe poſſit cur Animi cogitatio, vel Animi cogitantis actus ab una ſolum, non vero à ceteris Animi partibus oriatur. Sin vero dicatur cogitationem à partibus omnibus una collectis oriri, totidem partium varietas in ipſa cogitatione diſtingui vel admitti deberet, quot fuerint partes illæ, quibus corporea Animi ſubſtantia conflata foret, adeoque in quolibet cogitationis actu infinitus partium numerus admittendus eſſet: quod ab ipſa cogitationis indole, intimoque ſenſu mirifice abhorret.

V. Exinde vero jam facile refelli poterit Epicuri ſententia, qui cognitionem omnem à tenuiſſimis ſolum, rotundiſque corpuſculis oriri putavit, Animumque noſtrum ex levibus ſolum, ac mobilibus atomis compoſitum exiſtimavit; ut ille, cum vividæ, tenuiſſimæque flammæ inſtar in ſano, ac vigente corpore nutriatur, effæto jam ac languente corpore extingui, vel evaneſcere deberet. Ita quoque nuperrima Lokii (a) ſententia refelli debet, qui, licèt humanæ Mentis ſubſtantiam incorpoream, atque immortalem eſſe cenſeret, non obſcure tamen fieri poſſe putavit, ut materiæ partes in infinita Dei ſapientia, ac virtute ita fortaſſe conciſæ, diſpoſi-

(a) Lib. 4. cap. 3.

positæ, contextæ, agitatæ forent, ut ex hac ipsa admirabili partium textura, ordine, figura, tenuitate perceptio oriretur. Etenim quæcumque demum partium subtilitas aut ordo; quicumque motus, figura, quæcumque affectiones aliæ in materiæ partibus, aut corpore concipiantur, nunquam tamen perceptio, vel perceptionis idea exsculpi inde poterit: longeque facilius erit incorpoream cogitationem omnem hominibus adimere, quam illam ex solo corpore, aut corporeis affectionibus veluti fonte deducere. Quod si materia cogitans, aut corpus percipiendi vi præditum intrinsecam hanc repugnantiam, aut contradictionem involvit, ne quidem infinitæ Dei potentiæ effectus ille concedi poterit; cùm infinita illa agendi vis nullisque limitibus circumscripta, quàm Deo inesse fatemur, ad impossibilia quoque, contradictoria, vel repugnantia extendi non possit, ut opportune jam alibi demonstravimus. Ergo perceptio, vel cogitatio à corporea substantia, sive à materia, aut à corporeis affectionibus oriri certe non poterit; adeoque humanus Animus, cui plurimas ejusmodi perceptiones, aut cogitationis species inesse intimo quodam, vividoque sensu percipimus, incorporeus, immaterialis, ac spiritalis esse debebit.

VI. Quandoquidem verò perceptio quædam, sensatio, aut obscurior cogitationis species à pluribus in Brutis ipsis admitti solet, plurimique Philosophi existimant illorum Animam, quamvis aliqua percipiendi vi prædita sit, corpoream tamen, ac materialem esse oportere, unaque cum corpore interituram, suspicari fortasse quis posset ipsam quoque hominis Animam quamvis cogitandi vi prædita dicatur, alterius instar, corpoream esse posse; adeoque Animi spiri-

malitatem ex sola cogitationis indole, ac natura inferri non posse.

Ac certe quidem plurimi, cum perceptionem à corporeà substantia produci non posse intelligerent, nullamque prorsus incorpoream substantiam in Brutis admitti posse putarent, eo sunt abrepti, ut omnem prorsus percipiendi vim, sensum omnem, atque animam Brutis negarent; ideoque actus omnes, qui in iis peraguntur, ex sola partium textura, ordine, motu, figura repetendam esse censerent: perinde quasi Bruta machinarum instar motus illos efficiant, in quibus tamen nullus omnino dolor, nulla sensatio, memoria nulla, nulla perceptio reperiatur. Alii vero, cùm Brutis cognitionem, ac sensum adimi non posse putarent, nullamque prorsus cognitionem ex corporea substantia oriri posse intelligerent, in Brutis etiam incorpoream quandam Animam admisere, quæ tamen rudior, unaque cum corpore interitura foret: quod nimirum Deum ipsam moriente corpore in nihilum redigeret. Peripatetici vero mediam quodammodo inter extremas opiniones illas sequuti, Brutorum animam neque *spiritum*, neque *corpus*, neque *corporeum*, neque *incorporeum* accidens, sed *substantialem* quendam *actum*, *formam*, principium corporeum existimarunt; ut quemadmodum nempe *motus*, *figura*, *extensio* &c. neque corpus, neque materia, sed corporei solum modi sunt, qui corpoream quandam, sed *accidentalem* perfectionem, rebus imprimunt; ita quoque corporeus actus aliquis, & corporea forma admitti possit, quæ *substantialis* tamen dicatur, quod ipsi rei *substantiale esse* tribuat, hoc est subjectum ipsum ita perficiat, ut *substantia* sit, aliarumque substantiarum instar per se subsistere, operari, sibique convenientes actus exercere perfecte possit.

VII. Quis

VII. Quis ex Philosophis istis palmam alteri præripiat, asserere, & obscuram hanc, mireque implicatam de Brutorum Animæ controversiam dirimere ad Physicos spectare debet. Quod hujus est loci, munerisque nostri, facile argumentum illud, quod ex corporea Brutorum cognitione, vel Anima deduci solet, perspicue certoque refelli poterit; ut proinde, quamvis etiam corporea quædam cognitio a corporea quadam forma, principio, vel caussa repetenda in Brutis admittatur, perspicue tamen ex puriori, nobiliorique cognitionis genere, quod in homine reperitur, ostendi possit ipsius Animam corpoream quandam formam, alterius instar, esse non posse.

Etenim duplex cognitionis genus in homine admitti debet, ut alia quidem cognitio *corporea*, alia vero *incorporea*, dicatur. Corporea cognitio vocatur illa, quæ ad corporea objecta dirigitur, corporeis ideis, atque imaginibus peragitur, corporeis organis, sive sensoriis acquiritur, cujusmodi certe sunt perceptiones illæ, quæ somni, infantiæ, ebrietatis, vel amentiæ tempore in nobis producuntur. Incorporea vero cognitio dicitur illa, quæ ad incorporea objecta dirigitur, nullius phantasmatis ope, nullaque prorsus corporea imagine, aut corporis sensu comparatur. Quod autem in hominibus purius hoc etiam, ac nobilius incorporeæ perceptionis genus admitti debeat, intimo quodam sensu perspicue cognoscimus, ac experimur. Quis enim ignoret ab intellectu nostro *tempus*, *veritatem*, *justitiam*, *existentiam* &c. aliaque id genus plurima subinde percipi, quæ prorsus abstracta, incorporea, ac insensibilia sint, nullaque prorsus corporea imagine exprimi, sive cognosci

possint. * Quis intimo, vividoque sensu non videat affectus etiam, Animique propensionem ad *bonum*, ad *honestatem*, ad *virtutem*, incorporea nempe, & abstracta objecta à corporeis imaginibus longissime dissita ferri? Quid vero quod ipsa quoque corporea objecta eo perceptionis genere sæpissime concipiuntur, quod à corporea perceptione mirifice abhorreat? Ita corporea sensuum perceptio *Antipodas* velut homines capite deorsum inverso incedentes nobis exhibet; eos tamen, reluctante licet sensu nostro, rectos Telluri insistere percipimus. Corporea perceptio, qua Solem conspicimus, illum nobis veluti bipalmarem exhibet: sed alio tamen perceptionis genere illum veluti Tellure longe majorem esse concipimus, quod facile pluribus exemplis aliis ostendi posset. Ergo, quamvis etiam ex Brutorum exemplo corpoream quandam cognitionem ex corporea quadam forma, sive principio oriri posse concedatur, incorporea tamen perceptio ex incorporea solum substantia, sive principio oriri poterit; adeoque, licèt incorporea Animi nostri natura ex singulis ipsius actibus, aut corporeis etiam perceptionibus inferri non posset, ex incorporeis tamen actibus, ac perceptionibus inferri illa debet; & quamvis etiam corporea, *Solis*, *Antipodum* &c. aliarumque rerum perceptio ex sensibus, corporeo nempe, ac mortali principio oriri posse dicatur; altera tamen cognitio, quæ priori adver-

* Si corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur, oportet Animum, quo videmus illa incorporalia, corporeum, corpusve non esse. *S. Aug. Solil. Lib. 2. cap. 19. & de Quantit. Anim. cap. 4. al. 13.*

adversatur, & objectum ipsum nova, melio-rique ratione nobis exhibeat, ab alia, nova, melioriquę caussa, incorporeo nempe principio, deduci debet.*

VIII. Denique, ne argumentis aliis hic immorer, observari postremo nunc poterit quod innumeræ cognitiones nostræ *reflexioni* conjunctæ, sive *reflexæ* esse solent. Etenim sæpissime non modo nos objectum aliquod rite percipimus, verum etiam hanc ipsam perceptionem in nobis peragi advertimus; non modo sentimus, verum etiam sensationem illam in nobis effici, sive nos sentire sentimus, sensationis, cognitionisque hujus nostræ intimo quodam vividoque sensu conscii nobis sumus: adeoque sicuti prima perceptio ad rem perceptam veluti objectum dirigitur, ideoque *directa* dicitur, ita *reflexio*, vel cognitionis cognitio ad cognitionem ipsam antea in nobis formatam veluti objectum tendit, ideoque *reflexa* vocatur. Itaque, licèt cognitio *directa*, si præsertim ad corporeum objectum aliquod dirigatur, corporea censeri, atque à corporeo solum principio deduci fortasse possit, reflexa tamen cognitio, quamvis etiam ad corporeum objectum dirigatur, semper incorporea censeri, atque ab incorporea caussa pendere debebit. Fingatur enim quod humanus Animus ex tenuissimis materiæ partibus componatur, adeoque perceptio ex peculiari quadam partium figura, extensione, motu, situ, vel ordine producatur, perspicue apparet quod, si eadem illa dispositio, figura, mo-

* Quare conficitur ut aliud simus nos, aliud sensus. Siquidem cum ipse fallitur, possumus nos non falli. *August. Solil. Lib. 2. cap. 3.*

motus &c. idem nempe affectionum complexus perseveret, ex quo perceptio prodierat, eadem quoque perceptio ab iis orta perseverabit: adeoque nova, ac distincta perceptio, perceptionis nimirum perceptio à corporeis affectionibus illis oriri non poterit, nisi novus alter affectionum complexus in materiæ partibus oriatur. Ubi vero novus ille affectionum complexus, nova scilicet agitatio, figura, situs, celeritas in materiæ partibus oriatur, adeoque nova perceptio ab iis producatur, quemadmodum prior ille affectionum complexus prorsus evanuit, atque una cum novo, varioque complexu simul existere, simulque componi non potest, ita quoque prior illa perceptio à priori complexu producta evanescet, adeoque cum posteriori perceptione simul existere, sive componi non poterit. Itaque posterior hæc perceptio priorem aliam jam prorsus extinctam percipere non poterit, adeoque reflexa cognitio ex corporeis affectionibus, ex materiæ partibus, ex corporea demum substantia oriri, vel exsculpi non posset. Ergo, cum reflexæ cognitiones illæ certissime admitti debeant, quibus perceptionem adhuc in nobis superstitem atque existentem percipimus, dubitari certe non poterit, quin humanus Animus ejusmodi reflexa cognitione præditus incorporea quædam, partium expers, indivisibilis, ac spiritalis substantia censeri debeat.

IX. Hinc mirari plane non possumus si nobiliores omnes Philosophi, qui maxima ingenii, ac doctrinæ gloria floruere, perspicuum hoc inter materiam, sive corpora, atque humanos Animos discrimen agnoverunt, ideoque Animos ipsos materiæ expertes, indivisibiles, & incorporeos admiserunt. Ac, ne in Philosophis illis recensendis immorer,

Pla-

Platonis, aliorumque sententiæ apud Ciceronem observari facile poterunt, qui incorpoream hanc Animi naturam uberrime, ac elegantissime demonstravit. (a) Quod si plures alii tum ex veteribus, tum ex recentioribus etiam occurrunt, qui Animos ipsos corporeos existimarunt, observari etiam poterit illos plerumque non alia de caussa in opinionem illam abreptos fuisse, nisi quod nitidam, atque accuratam incorporeæ substantiæ, vel *Spiritus* ideam concipere, vel efformare non poterant; * ideoque non modo humanos Animos, sed ipsum quoque Deum corporeum esse dixerunt. (b) Itaque, cum in *Spiritus*, vel incorporeæ substantiæ idea nulla prorsus repugnantia effingi possit, ac perspicuis argumentis appareat tum Deum, tum Animum nostrum corporeum esse non posse, incorporea quædam substantia, vel *Spiritus* admittendus erit, quamvis ipsius idea nitide, accurateque ab intellectu nostro formari non possit: quod ille nimirum corporeis imaginibus assuetus, corporeas affectiones illas reponere vix possit, adeoque in illarum quoque rerum, quæ prorsus incorporeæ sint, ideis efformandis ad incorporea phantasmata relabatur. Nec alia sane de caussa Tertullianus.

(a) *Vid. adnot. ad cap. seq.*

* Εἴ τίς φησι μὴ σῶμα ἔχον εἶναι, καταφρονοῦντες τὸ παράπαν, καὶ οὐδὲν ἐθέλοντες ἄλλο ἀκούειν. *Si quis dicat existere aliquid, quod non sit corpus, statim despiciunt, nihilque aliud, quam corpus, audire volunt*. Plato in Sophista.

(b) *Hobbes. in Leviat. cap. 12. & 34.*

nus * ipse, aliique nonnulli veteres Ecclesiæ Patres (a) humanos Animos aut *Corpus* esse, aut ex subtiliori quadam, puriorique materia constare dixerunt, nisi quod illi incorpoream quandam substantiam concipere vix poterant; ideoque quidquid existeret, atque à *nihilo* distingueretur, *corpus* esse putarunt, ut optime de Tertulliano disserens observavit Augustinus. * * Quandoquidem ergo perspicue certoque cognoscimus Deum, Animumque nostrum neque *nihil*, neque *corpus* esse posse distinctum aliquod Entis genus admittendum esse percipimus, quod incorporea substantia, vel *Spiritus* appelletur, quamvis ille à nobis accurate concipi, vel definiri non possit; cum in ejusmodi rebus, in quibus vivida quædam perceptio, vel perspicuitas obtineri vix potest, sola certitudine dirigi debeamus.

CAPUT III.

De Mentis humanæ, vel Animi immortalitate.

I. Ceteris attributis, ac perfectionibus, quæ humanis Animis inesse possunt, excel-

---

* Cum autem sit, habeat necesse est aliquid, per quod est. Si habet aliquid, per quod est, hoc erit corpus ejus. Omne, quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est. *Tertul. de Anim. cap. 7.*

(a) *Vid. Hieron. in Matth.* 10. *Aug. de Gen. ad lit. lib. 7. cap. 7. 8. 9.*

* * Quia corpus esse Animam credidit non ob aliud fecit, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit; & ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset. *S. Aug. de Genes ad Litter. libr. 10. cap. ult.*

excellere, adeoque principe loco subtilius, & accuratius explorandas esse jam diximus *spiritualitatem*, atque *immortalitatem*; cum præsertim ex illis plurimæ perfectiones aliæ mox explicandæ nitida quadam serie deducantur. Quemadmodum ergo superiori Capite perspicuis certisque rationibus ostensum fuit quod humanus Animus partium expers, indivisibilis, & incorporeus admitti debet; ita quoque perspicuis etiam, certisque rationibus ostendendum erit quod ille perennis, interitus expers, ac immortalis esse debebit; ea nimirum indole, natura, ac substantia præditum ipsum esse oportere, ut illud esse, quod habet, perenniter, constanterque conservet, nihilque prorsus admitti, vel effingi possit, quod Animi substantiam destruere fortasse valeat, si maxima solum, ac infinita Divini Opificis potentia excludatur; ut mox accuratius explicabitur. Quandoquidem vero hæc ipsa Mentis humanæ perfectio, Animique immortalitas variis rationum generibus ostendi solet, ut aliæ quidem *physicæ*, aliæ vero *metaphysicæ*, aliæ denique *morales* dicantur, singulas ejusmodi rationes hic ordine complectemur, supremoque tandem loco quidquid à pluribus contra utramque Animi dotem afferri solet, accurate refellemus.

II. Itaque, ut à primo, clariorique argumenti genere exordiamur, Mentis humanæ immortalitas ex ipsius spiritualitate manifestissime inferri debet; ubi nimirum ipsius substantia partium expers, indivisibilis, & incorporea concedatur, incorruptibilis etiam, perennis, ac immortalis admitti debeat. Etenim, ut opportune, ac perspicue in Physica demonstratur, id interire, mori, vel corrumpi concipimus, quod ita-

ita variari, vel alterari potest, ut vetus illud esse, quod habuit, prorsus * amittat, ac novum aliud esse à veteri prorsus distinctum recipiat; alioquin si vetus illa substantia in nihilum abiret, interitus ille, sive mutatio non *corruptio* vel *mors*, sed *annihilatio* diceretur, quæ *creationis* instar à nulla finita vi, adeoque à nulla creata caussa produci potest, ut in I. Metaphysicæ Parte jam demonstravimus. Itaque, ut aliquid mori, sive corrumpi dicatur, necessario requiritur ut partibus aliquibus componatur, quæ dividi, secerni, disjungi, novoque prorsus ordine disponi sic possint, ut exinde nova sensibilium affectionum congeries, adeoque nova substantia à veteri distincta oriatur. At in substantia, quæ spiritualis, & incorporea sit, nullæ omnino partes, nulla partium varietas, textura, motus, unio, disjunctio effingi potest, ergo illa mortis, aut corruptionis capax esse non poterit; ideoque, si Mentis humanæ substantia spiritualis, & incorporea dicatur, incorruptibilis etiam, ac immortalis admitti illa debet. * *

III. De-

* Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ, Concursus, motus, ordo, positura, figura cum permutantur, mutari res quoque debent. *Lucretius Lib.* 2. *ver.* 120. & 724.

* * Cum tanta celeritas Animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorumque providentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem; & cum simplex Animi natura sit, neque habeat in se quidquam admixtum, dispar sui, atque dissimile, non posse eum dividi, quod si non possit, non posse interire. *Cicero de Senect. cap.* 21.

In Animi cognitione dubitare non possumus, nisi in physicis plane plumbei simus, quin nihil sit Animis admixtum, nihil concretum nihil copulatum,

nihil

III. Deinde vero, si Mens humana aliquando deficere, mori, vel interire unquam posset, deberet amittere illud esse, quod habet. Ergo vel ipsa sibi hoc esse, quod habet, eriperet, ac se ipsam destrueret; vel ipsi potius hoc esse, quod habet, ab altero adimeretur, ut à Deo, vel ab alio creato spiritu, vel à corpore. At ipsa sibi suum hoc esse eripere, seipsam nimirum destruere, vel *annihilare* non potest, cum nulla creata vis, quæcumque illa fuerit, ens aliquod ex nihilo producere, vel ens aliquod in nihilum redigere unquam possit; ideoque, sicuti humanus Animus seipsum producere, sive creare non potuit, ita quoque seipsum perimere, destruere, *annihilare* non potest. Eadem quoque ratio perspicue ostendit quod humanus Animus ab alio creato spiritu, vel ab alia humana Mente destrui non potest; cum præsertim creatus spiritus unus in alium agere, vel potenter adeo influere non possit, ut ipsum perimere posse concipiatur. Multo etiam minus humanus Animus à corpore destrui, variari, corrumpi, atque in nihilum redigi poterit, cum corporeæ affectiones omnes, quæcumque illæ sint, natura sua Animæ substantiam, quæ spiritualis, & incorporea sit, afficere non possint; neque corpus ullum in substantiam ullam influere, vel operari possit, quæ partibus, ac extensione prædita, adeoque corporea non sit. Ergo id unum supererit, ut Mentis humanæ substantia à solo Deo destrui variarique possit; ut quemadmodum nempe

---

nihil coagmentatum, nihil duplex: quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire. *Cic. Tusc.* 1. c 29.

nempe Deus ipse infinita vi sua Mentem ex nihilo repente produxit, ita quoque Mentem ipsam in nihilum redigere repente possit. Quamvis tamen in hac una hypothesi, eoque sensu humanus Animus finis, ac interitus capax dicatur, eoque discrimine ab æterna, invariabili, ac necessaria Dei natura distinguatur, intrinsece tamen, hoc est indole, natura, essentiaque sua incorruptibilis, ac immortalis haberi, vocarique debet; quod ille nimirum vi sua, sive creatæ naturæ viribus destrui, corrumpi, vel mori non possit; sed illud idem esse, quod habet, atque à Deo recepit, semper invariabiliter, constanterque sit habiturus.

IV. Argumentis hisce, quæ partim ex intima Animi natura deducuntur, adeoque *metaphysica* vocari possunt, partim ex naturæ legibus, hoc est ex interitus ac mortis idea repetuntur, quæ in caducis, mortalibus, tandemque interituris rebus concipitur, ideoque *physica* dicuntur, illa quoque subtexi nunc poterunt, quæ, quamvis *extrinseca*, vel *moralia* sint, plurimum tamen roboris habere debent ut ingenuos animos ac veritatis cultores ad immortalem hanc humanæ Mentis naturam facilius agnoscendam inflectant. Itaque Cicero immortalitatem ipsam exinde quoque facile ostendi, vel confirmari posse putavit, quod nobiliores omnes Philosophi ingenii doctrinæque gloria commendati, Gentes omnes, barbaræ quoque Nationes in hac asserenda conspirent. Quamvis enim Pherecydes Sirus id omnium primus docuisse feratur; (*a*) idque Thaleti Mile-

(*a*) *Cic. Tusc. Lib. 1. cap. 16.*

Milesio ab aliis (*a*) concedatur; compertum est tamen Ægyptios, (*b*) Druidas (*c*), Cascos, quos *antiquissimos* Ennius appellat, Magos, Arabes, aliosque plures (*d*) longe ante Pherecydis ætatem humanos Animos incorruptibiles, perennes, ac immortales admisisse; ac, licet in explicanda Animi nostri natura, & origine dissiderent, omnes tamen Animos corpori tandem superstites futuros dixisse. Ita quoque Nationum omnium animis alte insederat, quod, nisi futurus aliquis vitæ status post hominis mortem admitteretur; in quo bonis præmia, iniquis pœnæ tribuerentur, vindex Deorum justitia, supremique Numinis æquitas, ac providentia rite intelligi, vel explicari non posset. Etenim, ut optime Lactantius, (*e*) aliique plures (*f*) observarunt; Deus justus esse non posset, nisi justis solum præmia, scelestis etiam solis pœnas distribueret. Ejusmodi vero præmiorum, pœnarumque distributionem in hac miserrima ac brevi mortalis vitæ conditione salvari posse quis dixerit, cum aliquando boni egestate, morbis, calumniis premantur, injusti vero felices ac beati videantur? Ergo, ut æquabilis illa, & accurata Dei justitia defendatur, perennis alter vitæ status post hominis mortem agnoscendus erit, in quo scelesti solum pœna, justique soli præmiis afficiantur.

V. Nihil est autem cur in pluribus argumentis illis refellendis hic immorer, quibus Epi-

(*a*) *Laert. Lib. 1. cap. 24.*
(*b*) *Herod. Lib. 2.*
(*c*) *Cæs. de B. G. Lib. 6. & Strab. Lib. 15.*
(*d*) *Vid. Gassen. Lib. 14. cap. 1.*
(*e*) *Divin. Inst. Lib. 3. cap. 17.*
(*f*) *Chrysost. ser. 4. de Provid.*

Epicurus, Lucretius, aliique plures humanos Animos corporeos, corruptibiles, mortales, unaque cum corpore interituros ostendere nitebantur.

Pleraque ex argumentis illis exinde deduci solent, quod humanus Animus una cum corpore producatur; quod Animi vires, & actus una cum corpore perfici, adolescere, vigere, languere videantur; quod affectiones omnes, motus, & ægritudines, quæ excitantur in corpore, ipsam quoque Animi substantiam percellere, afficere, alterare soleant; adeoque, si tanta ac mira prorsus, & perennis affinitas, connexio, dependentia inter Corpus ipsum, atque Animum reperitur, Animus ipse corporeus, ideoque Corporis instar corruptibilis, & mortalis haberi, unaque cum corpore interire ille debeat, quemadmodum sane in languente corpore Anima sensim deficere, prius in extremis corporis partibus, tandemque in ipso corde veluti extingui conspicitur.

VI. Sed hæc facile dirimi, ac refelli poterunt, ubi admirabilis illa connexio explicata jam fuerit, qua Mentis humanæ substantia non ex indole, naturaque sua, sed libero solum divini Opificis consilio ita regendo corpori destinata, ideoque humano corpori conjuncta fuit, ut in exerendis actibus suis ab illo penderet; quamvis illos etiam à corpore sejuncta exerere perfecte posset.

Interim vero observari facile poterit quod quamvis hamanus Animus in corpore reperiatur, dependenter ab illo operetur, ab ejus ægritudinibus afficiatur; ii tamen actus, qui ab Animo producuntur, hoc est innumera cogitationum genera, quæ in nobis existunt, à corpore oriri non possunt; ideoque semper in homine principium aliquod admitti debebit, quod incorporeum sit:

quam-

quamvis occulta quadam, atque admirabili lege à corporeis ſenſibus, veluti inſtrumentis, & occaſione quadam in operando pendere debeat.

Obſervari etiam debet quod, licet plerumque maxima ſit affinitas, atque connexio inter Animi, Corporiſque motus, & affectus illos, qui in alterutro, vel utroque excitantur, aliquando tamen in Animo plures motus, affectiones, & actus excitantur, qui corporeas affectiones omnes excedunt, atque interdum etiam ipſis perſpicue adverſantur. Itaque ſicuti ex mutua affectionum vel actuum dependentia, ac ſimilitudine Animi naturam aut corpoream, aut mortalem eſſe quis crederet, ita potius ex maxima diſſimilitudine, vel repugnantia manifeſtiſſime inferri debet hanc incorpoream, atque immortalem eſſe oportere.

VII. Quicumque ſane hæc omnia ſubtiliter, accurate, præſertim verò ingenuo veritatis inquirendæ amore perpenderit, fieri certe non poteſt quin ſententiam illam, quæ humanos Animos incorporeos ac immortales aſſerit, perſpicuis, certiſque rationibus probari, oppoſitam verò levibus, ambiguis, falſiſque principiis inniti non videat. Sed, ut liberaliter etiam cum Epicuro, ceteriſque Philoſophis ipſum ſequutis agatur, atque in re graviſſima, ea nimirum, ex qua morum doctrina, hominum felicitas, legum vis, honeſtatis ſtudium, ipſa denique religio dependet, effugium omne, liberioris ingenii viris præcludatur, obſervari facile hic poterit, quod quamvis etiam argumenta ſingula, quæ ab Epicuro, ceteriſque afferuntur, tanti roboris eſſe poſſent, ut ambiguum plane, ignotum, ac incertum efficerent an humanus Animus incorporeus ac immortalis, ſive corporeus unaque cum corpore inte-

interiturus admitti debeat, ipsum tamen rationis lumen, ac humanæ prudentiæ leges impellerent, ut incorporeum potius, ac immortalem, quam corporeum, & interiturum admitteremus. Etenim ille, qui humanos Animos incorporeos, ac immortales esse arbitratur, adeoque perennis ac futuræ vitæ amore operatur, si fortasse fallatur, exiguum certe, levissimum, ac breve commodum amitteret, eam nimirum voluptatem, ac licentiam, quæ humanis etiam legibus, ac societatis officiis vetatur; sin vero meliorem, veramque sententiam instituisset, perennem sibi beatitatem comparasset. Ille vicissim, qui corporeos, ac interituros Animos existimasset, ejusque hypothesis, ac principii lumine omnem præmii futuri spem, ac pœnæ formidinem abjecisset, levissimum certe, breve, ac mortale commodum adeptus inde foret, ut corporeis nempe voluptatibus, caducisque bonis alacrior, ac timoris expers frueretur. Sin vero in hac ipsa opinione deceptus fuerit, eamque opinionem amplexus, quæ moriente corpore falsa deprehendatur, is infiniti mali, æternæque pœnæ periculo se exposuisset. Quandoquidem ergo perspicuis humanæ prudentiæ legibus impellimur, ut ex duabus opinionibus eam semper eligamus, in qua levioris quidem detrimenti timor, majoris vero boni spes affulgeat, eamque deseramus, in qua levissimi boni spes, gravissimi damni timor impendeat, quis aperte non videat, quod, quamvis etiam incorporea, ac immortalis Animi natura divinæ fidei lumine, certisque rationibus demonstrata non foret, & argumentis illis, quæ contra afferuntur, ea vis inesset, ut nos hac in parte ancipites ac incertos efficerent, unius tamen prudentiæ legibus, puriorique rationis lumine dirigi, ac impel-

impelli debemus, ut humanos Animos incorporeos, ac immortales esse putemus, ejusque opinionis præsidio, perennis nimirum pœnæ formidine, ac præmii perennis amore mortalis hujus vitæ cursum honeste, sancteque transigamus?

CAPUT IV.

De Mentis humanæ intellectu, ejusque cognitione, ideis, & affectionibus.

I. Quæ de Mentis humanæ viribus, ac potentiis explicanda nobis occurrunt, facile ex ipsius natura superius exposita, & ex variis actibus, quos ab illa produci intimo quodam vividoque sensu percipimus, inferri possunt; ut proinde hac in parte Philosophi, quamvis interdum varios explicandi modos inire, variisque nominibus uti consueverint, ubique fere consentiant. Itaque singulas humanæ Mentis vires, potentias, ac facultates hìc ordine complectemur, earumque proprietates, & affectiones omnes brevissime exponemus. Ejusmodi vero potentiæ tres à Philosophis numerari, sive distingui solent, *Intellectus* nimirum, *Voluntas*, ac *Memoria*; quamvis hæc ultima ad Intellectum facile revocari possit, ut inferius ostendetur.

II. Ut autem à prima Animi potentia exordiamur, *Intellectus* vocatur vis, ac facultas illa, qua Mens humana ad *verum* veluti objectum dirigitur, innumera entium genera cognoscit, ideoque innumera perceptionum genera, veluti peculiares quosdam, sibique convenientes actus producit. Quandoquidem vero nihil ab intellectu percipi, vel apprehendi potest, nisi incorporea quædam rei perceptæ species, & imago Menti

nostræ

nostræ obversetur, quæ rem perceptam Menti cogitanti veluti præsentem exhibeat, imagines illæ, vel ut appellari jam solent, *ideæ* admitti debent, quarum præsidio perceptio nostra peragatur; in quibus nempe Mens nostra rem perceptam nitide contempletur. Idque facile intelligi, & clarius exponi poterit, si incorporeæ cognitionis origo cum corporeæ cognitionis origine conferatur; atque admirabilis illa ratio observetur, qua corporea quædam sensibilis objecti perceptio sensuum ope in nobis produci censetur. Etenim cum sensibile objectum aliquod sensui nostro obversatur, accurata ipsius species ab ipso erumpere, ad organa nostra deferri, ipsa percellere, tandemque nervorum, ac spirituum animalium ope ad cerebrum, Animique sedem deferri concipitur, ut ejusmodi speciei præsidio Anima nostra corporeum, ac externum objectum illud percipiat, ac veluti præsens intueatur. Quemadmodum ergo ex rosa, quæ speculo objecta fuerit, pulcherrima ipsius imago prodire, atque in speculi superficie depingi concipitur, ita ex corporibus omnibus accurata ipsorum species, ac imago erumpi existimatur, quæ per aerem ad oculos delata pupillam subeat, retinæ imprimatur, per opticos nervos ad cerebrum feratur, ibique picta, ac impressa ab Anima percipiatur. Ita ex sonoro corpore *soni* species erumpit, tremulæ nimirum, atque agitatæ corporis partes motum in aere quaquaversum imprimunt, atque exterior aer ita agitatus, cum ad aures pervenerit, internum aerem auri inclusum commovet, animales spiritus *acusticis* nervis inclusos percellit, iique sic agitati Animam cerebro insidentem afficiunt, ut in illa *soni* sensatio producatur. Tenuissimæ partes, ac effluvia, quæ ab odoris, sapidis,

cali-

calidis corporibus emanant, ac nerveas papillas in naribus, lingua, manibus dispositas commovent, spiritusque animales nervis inclusos certa quadam vibratione irritant, ac motus ille ad cerebrum, nervorum originem, Animæque sedem delatus Animam percellit, ut ex inita jam consuetudine Anima ipsa tum corpoream affectionem illam, tum corporeum objectum, à qua oriatur, percipiat. * Quemadmodum ergo corporea, ac sensibilis corporei alicujus objecti cognitio in nobis produci, vel excitari non potest, nisi præter objectum illud, quod extra nos positum sit, corporea quoque species, quæcumque illa sit, habeatur, quæ à corporeo objecto prodiens ad sensuum organa deferatur, Animam percellat, ipsique objectum illud exhibeat, ita quoque incorporea quædam incorporei objecti perceptio in nobis produci, vel excitari non poterit, nisi præter incorporeum objectum, quod à nobis percipitur, incorporea quoque species, & imago admittatur, quæ objectum ipsum Men-

* Quondam Porticus attulit.
Obscuros nimirum senes,
Qui sensus, & imagines
E corporibus extimis
Credant Mentibus imprimi;
Præcedit tamen excitans
Ac vires Animi movens
Vivo in corpore passio,
Cum vel lux oculos ferit,
Vel vox auribus instrepit,
Tum Mentis vigor excitus
Quos intus species tenet,
Ad motus similes vocans
Notis applicat exteris,
Introrsumque reconditis
Formis miscet imagines.
Boet. de Consol. Lib. 5. metr. 4.

Menti nostræ veluti præsens exhibeat. Itaque, licèt à Lokio, Arnaldo, aliisquè nonnullis *imagines* illæ ab ipsa *perceptione* non distinguantur, incorporeæ tamen rerum imagines admitti debent, quas Plato omnium primus *Ideas* appellavit, quarum ope incorporea cognitio, incorporei nempe objecti perceptio in nobis peragatur. Atque hactenus quidem Philosophi omnes, si veteres solum, ac recentiores etiam Epicureos exceperis, qui incorporeas cognitiones, adeoque incorporeas etiam imagines sustulerunt, una veluti voce conspirant, ut incorporeas quasdam ideas nobis inesse fateantur, quemadmodum ipsorum quilibet, ac Epicurus etiam corporeas imagines, species, idola, spectra, phantasmata à corporeis sensibus acquiri putavit, ut is proinde, qui sensu quodam careat, ea quoque idea, & cognitione carere debeat, quæ ejusmodi sensu acquiratur.

III. In explicanda vero spiritualium Idearum natura, & origine tum veteres, tum recentiores etiam Philosophi mirifice dissident. Etenim Aristoteles incorporeas Ideas à sensibus oriri, ex corporeis nempe imaginibus, quæ sensibus exceptæ, ac cerebro impressæ fuerant, abstrahi vel educi arbitratur. Ille nimirum existimat intellectum tabulæ rasilis instar habendum esse, cui nulla prorsus imago, vel rerum idea depicta, insculpta, vel impressa fuerit. At ubi Mens ipsa corporeas imagines, ac phantasmata contempletur, quæ sensibus excepta ac cerebro impressa sint, illa incorporea quadam, puriorique luce perfundit, à corporeis affectionibus, & singularibus circumstantiis ita separat, abstrahit, ac sejungit, ut exinde incorporea quædam species efformetur, quæ ab intellectu, incorporea nimirum potentia,

co-

cognosci, atque incorporeum objectum exprimere perfecte possit. Hinc Aristoteles intellectum ipsum partim *agentem*, partim *patientem* esse dixit; quod nempe vi sua incorpoream speciem exsculpat, abstrahat, ac efformet; deinde vero speciem ipsam, ac imaginem sic efformatam veluti sibi impressam recipiat; quemadmodum species ipsa, quatenus in intellectu imprimitur ipsique inhæret, *impressa* dicitur, quatenus vero ab intellectu procuditur, ac percipitur, *verbum*, aut *species expressa* vocatur; unde celebre effatum illud à Theologis etiam usurpatum quod *omne intelligens intelligendo efformat verbum*. Quæcumque verò in Aristotelis hypothesi de spiritualium idearum origine dicta sunt, eadem fere in Gassendi quoque, & Lokii sententia facile intelligi exponique possunt; cum ipsi quoque ejusmodi idearum originem à sensuum ope, Animique viribus repetendam esse opinentur; quamvis Lokius incorporeas illas imagines non à corporeis abstrahi, sed ab Animo formari putaverit dum corporeis imaginibus ille percellitur, adeoque meditatione, conjectura, disserendique viribus novas, sensimque puriores ideas sibi procudit.

IV. Ac certe quidem, inquiunt illi, si incorporeæ imagines singulis hominibus impressæ, ac innatæ forent, hominum quilibet eandem prorsus *justitiæ*, *honestatis*, *Dei* &c. ideam haberet, adeoque par, & æqualis spiritualium rerum cognitio in omnibus hominibus haberetur; cum tamen mira idearum varietas in variis hominibus habeatur; nec eadem, & æqualis, sed mire potius diversa, cognitio, vel ad artes, & cognitiones ipsas comparandas dispositio in variis hominibus observetur.

2. Ita quoque pro varia sensuum, &

organorum indole, & perfectione, pro vario sensuum usu, variaque ratione, qua pueri educati fuerint, varia quoque rerum cognitio, virtutum idea, atque, ut Lokius ait, *principia practica* in iis deprehenduntur; cum tamen hæc prorsus eadem, & æqualia sint futura, si virtutum, aliorumque objectorum ideæ mentibus ipsis ingenitæ, ac impressæ forent.

3. Deinde vero, si ideæ illæ innatæ, adeoque Animi substantiæ semper impressæ forent, semper etiam ipsi præsentes essent; ideoque semper ab Animo percipi deberent; ac humanus Animus illarum ope, sive in illis incorporea quædam objecta semper cognosceret, etiam infantiæ, somni, vel ebrietatis tempore incorpoream cognitionem aliquam exereret: quod tamen falsum, & absurdum esse jam vidimus.

4. Accedit etiam quod infinitus propemodum ejusmodi spiritualium idearum numerus, varietas, ordo, series admittenda foret, cum infinita prorsus incorporea objecta ab intellectu cognosci possint, atque admirabilis quædam, & inexhausta cognitionum series in artibus, ac scientiis acquiratur. Quis vero immensam illam tot idearum seriem, quarum plurimæ vix unquam excitarentur, in simplici & incorporea Animi substantia pingi, vel imprimi potuisse concipiat?

5. Denique eam vim nobis inesse experimur, ut ex corporeis etiam, concretis, & singularibus ideis corporeo sensu exceptis incorpoream speciem efformemus; quemadmodum à Sacris etiam Literis erudimur, quod (a) in-

(a) *Ad Rom. cap. 1. v. 20.*

invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; quod nimirum incorporea Dei cognitio, & idea ex corporeis creatarum rerum imaginibus exsculpi potest. Ergo, si incorporeæ quædam imagines ex sensibus oriri, vel ab Animo formari possunt, ceteræ quoque ab Animo educi, vel effingi poterunt; ideoque imagines illæ, quæ ingenitæ, vel impressæ dicuntur, inutiles censeri, adeoque refelli debent.

V. Quamvis tamen hæc, aliaque id genus plurima, quæ à Peripateticis, & Lokio miro mentis acumine, & elegantia proferuntur, maximam veri speciem præseferant, Platonici tamen; Cartesiani, aliique plurimi corporeas quidem ideas à sensibus acquiri, & cerebro imprimi posse concedunt, incorporeas tamen ideas prorsus ingenitas, hoc est ab ipso Deo mentibus nostris impressas, esse arbitrantur; ut à corporeis quidem imaginibus, veluti occasione quadam, excitari illæ possint; sed à corporeis tamen imaginibus abstrahi, educi, vel ipsarum præsidio, ac sensuum ope ab intellectu formari non possint: quamvis Cartesius, Malebranchius, Regius, Leibnitius, aliique idearum innatarum assertores tum in asserendis illis, tum in explicanda lege, qua à nobis cognoscantur, plurimum differant.

1. Etenim, inquiunt illi, nulla prorsus affinitas, connexio, similitudo, sive proportio inter corporeas, & incorporeas ideas reperitur; ideoque istæ ex illis abstrahi, educi, vel oriri non possunt.

2. Neque modo corporeæ, ac spiritales ideæ, si inter se conferantur, omnino dissimiles, sed oppositæ quoque, ac dissidentes esse debent; ut illæ quidem corporeas, extensas, divisibiles res, & objecta nobis exhibeant; hæ vero incorporeas, par-

tium expertes, ac indivisibiles res exprimant.

3. Ac certe quidem corporeæ imagines ea solum objecta exprimere, vel repræsentare possunt, quæ corporeis, aut sensibilibus affectionibus prædita sint, ut *odore*, *colore* &c. At in spiritualibus, vel incorporeis objectis, ut *justitia*, *tempore*, *veritate* &c. nullus omnino color, nulla prorsus corporea qualitas reperitur, ergo in corporeis ipsis imaginibus nihil omnino incorporeum esse potest, quod ex illis abstrahi, secerni, vel educi possit.

4. Denique id prorsus immerito à Peripateticis, a Philosophis his aliis asseritur quod corporeæ quædam imagines ab objectis erumpant, sensibus excipiantur, ac cerebro sic imprimantur, ut Animus illas inspicere, atque ex iis incorpoream quandam speciem elicere possit. Etenim, licet à corporeis objectis imagines quædam, sive phantasmata prodire, ad sensuum organa deferri, cerebroque impressa conservari putentur, ut paulo superius jam diximus, eæque imagines suis fere coloribus ornatæ somni tempore excitari videantur, quidquid tamen ab externis objectis ad sensus defertur, ac illorum ope ad cerebrum, animique sedem deducitur, nihil est aliud, quam peculiaris quidam spirituum animalium motus, certa quædam vibratio, qua tenuissimæ nervorum, & cerebri fibræ percelluntur; ut Anima diuturna observatione, vel consuetudine erudita pro vario vibrationum genere, ac motus indole hanc potius, quam aliam, sensationem, hujus potius, quam alterius, objecti perceptionem in se excitari cognoscat. Itaque, cum ex ejusmodi fibrarum motu, vel spirituum animalium vibratione nulla prorsus spiritualis idea exsculpi, abstrahi, vel educi possit, incorporeæ imagines à sensibus ori-

ri, vel sensuum ope ab Animo procudi non poterunt; ideoque potius innatæ, à Deo, nimirum Animis impressæ censeri debent; quamvis admirabili quodam, & arcano divini Opificis consilio imagines illæ ea lege mentibus nostris impressæ fuerint, ut *actu* cognosci non possint, nisi prius à corporeis imaginibus excitentur. Quæ quidem lex, & arcana prorsus corporeæ simulque incorporeæ cognitionis connexio in ipsa quoque Aristotelis, & Lokii sententia admitti debet; cùm ipsi quoque incorporeas illas imagines, quæ jampridem sensuum ope, Animique viribus formatæ fuerant, semper quidem Animo impressas esse velint, neque tamen illas semper ab Animo cognosci dicant, nisi prius à corporeis imaginibus, à corporeis nempe spirituum animalium motibus, excitentur.

VI. Hujus principii lumine quidquid à Peripateticis contra ideas innatas oppositum fuerat, ita à Platonicis diluitur, ut in ipsa quoque Peripateticorum hypothesi eandem illam difficultatem reperiri contendant Platonici: perindè quasi utraque opinio iisdem difficultatibus premi videatur.

1. Itaque ad primum Lokii argumentum reponere plerique solent quod quamvis eædem prorsùs spirituales ideæ singulis hominum mentibus impressæ fuerint, maxima tamen in hominum ideis varietas observatur, quod imagines illæ inæqualiter à corporeis imaginibus excitentur. Quemadmodum ergo Peripatetici docent, quod, quamvis iidem sensus, eademque Animi substantia, ac percipiendi facultas singulis hominibus concessa fuerit, non omnes tamen homines easdem ideas efformant quod illi inæqualiter sensibus in efformandis incorporeis ideis utantur, ita quoque Platonici existimant incorporeas ideas

inæqualiter in variis omnibus observari quod inæqualiter sensuum ope in variis hominibus excitentur.

2. Ita, si cerebri fibræ, nervorum textura, spirituum animalium motus, & sensuum organa acriora, meliusque disposita sint, ac pueris accuratior educatio concedatur, ideæ quoque meliores sunt futuræ; non quod illæ à sensibus, aut à corporeis imaginibus exsculpantur, sed solum quia ab imaginibus ipsis pro varia sensuum indole, ac perfectione inæqualiter excitentur.

3. Quamvis autem spirituales ideæ Mentibus nostris innatæ, adeoque semper præsentes sint, non tamen semper ab Animo percipi, sive cognosci debent; sed ubi solum à corporeis imaginibus excitentur: quemadmodum prorsus Peripatetici ipsi docent quod spirituales ideæ semel acquisitæ, aut ab Animo formatæ semper quidem Animo impressæ remanent; neque tamen semper ab Animo cognoscuntur, sed solum ubi à sensibus, aut corporeis imaginibus excitantur.

4. Quod vero plurimi opponunt infinitum fere idearum numerum, ordinem, varietatem admittendam esse, facile dirimi profecto poterit, si mentis humanæ vis, indoles, ac natura observetur. Etenim, si Animus ipsedum infinitarum rerum cognitionem acquirit, infinitum illum idearum numerum abstrahere, procudere, sibique comparare potest, ut Lokius ceterique opinantur, cur idem ille idearum numerus ab ipso Deo Mentibus imprimi, sive concedi non poterit? Si Deus in illorum hypothesi Mentibus nostris vim illam concessit, qua ideas etiam illas procudere possent, quas tamen nunquam erant facturæ, cur Animo ideas etiam illas imprimere non potuit, quæ nunquam tamen à sensibus excitandæ, adeoque

que nunquam ab Animo cognoscendæ fuerant?

5. Denique cum Lokius ceterique docent vim quandam Mentibus nostris inesse, qua spirituales ideas ex corporeis exculpere, sibique formare possint, prorsus immerito, frustraque id ab illis asseritur; cum nulla prorsus corporea imago à sensibus acquiratur, nihilque prorsus sensuum ope ad cerebrum, Animique sedem feratur, nisi spirituum animalium motus, & certa quædam ipsorum vibratio, ut paullò superius est observatum. Ergo; si incorporeæ imagines à sensibus oriri, aut sensuum præsidio ab Animo formari debeant, spiritus illi incorpoream Animi substantiam percellere, afficere, movere deberent, Animusque ab iis perculsus incorporeum aliquid ex illis abstrahere, quæ tamen vix ac ne vix quidem concipi vel affirmari posse videntur. Itaque non alio sensu Dei cognitio à sensuum ope, & creatarum rerum cognitione pendere dicitur, nisi quod ipsius idea nobis impressa admirabili quadam, occultaque lege à sensibus excitatur; non vero quod à corporeis imaginibus abstrahatur; idemque prorsus de ceteris etiam incorporeis ideis asseri, vel admitti debebit.

Atque ista quidem de celeberrima quæstione utramque in partem dicta sint, ut ingenuus veritatis amator eam opinionem seligere, & amplecti possit, quæ rebus omnibus ritè exploratis concinnior, ac verisimilior videatur. Quod si fortasse idearum origo longe obscurior appareat, ac opiniones illæ pluribus difficultatibus impeditæ, gravioríque caligine circumfusæ videantur, quam ut alterutra ex illis veluti certa liberius, ac temere seligatur, illud unum tanquam indubium, atque exploratum admitti nunc poterit, quod incorporeæ quædam imagines aut

ideæ Mentibus nostris inesse debent, quarum præsidio incorporeas res & objecta percipimus; quamvis ipsarum origo tenues ingenii nostri vires eludat, adeoque ab intellectu nostro nitide, certoque deprehendi non possit.

VII. Quandoquidem vero ex ideis ipsis, quocumque demum ex fonte illæ oriantur, plurimæ cognitiones in nobis producuntur, atque ex iteratis ejusmodi Mentis actibus, vel cognitionibus major quædam facilitas, propensio, ac dispositio ad actus illos iterum producendos exoritur, facilitas illa, sive propensio *Habitus* appellatur; adeoque nonnulla de Habitibus ipsis supremo tandem hoc loco dicenda nobis occurrunt. Ejusmodi vero *Intellectus Habitus* ita distingui solent, ut alius quidem *Scientia*, alius *Opinio*, alius *Fides*, alius *Ars* appelletur.

Scientia vocatur habitus ille, qui ex cognitionibus certis ac evidentibus oriatur; adeoque definiri illa solet *Cognitio certa, & evidens*; sive *Cognitio rei per caussam*; sive *cognitio per demonstrationem acquisita*; ubi nempe intellectus objectum aliquod perspicue, certoque cognoscit, ideoque non libero, sed necessario ipsi assentitur.

Opinio verò vocatur habitus ille, qui ex probabilibus solum, dubiis, ac incertis rationibus oriatur, ut proinde intellectus in objectum aliquod, vel partem unam inclinet, sed rationibus tamen, ac momentis aliis in oppositam quoque partem inflectatur. Hinc opiniones ipsæ inter se comparatæ aliquando quidem *æque probabiles* appellantur, aliquando vero ipsarum una altera *probabilior*, altera *minus probabilis* vocatur, ut opportunius in Logica demonstratur.

Fides est habitus, quo humanus Animus in objectum aliquod ab alio sibi propositum in-

inclinat; ubi nempe objectum ipsum aut proposita veritas ab intellectu non percipitur, sed tamen intellectus ipse cognoscit quod alteri objectum hoc proponenti, vel asserenti credendum est; ideoque in ipso propensio, fides, ac intima quædam persuasio ex variis ejusmodi argumentis exoritur, quibus objecti propositi *credibilitas* innititur. Hinc Fides ita distingui solet, ut alia quidem *humana*, alia vero *divina* dicatur: quod ista nimirum Deo aliquid asserenti, vel revelanti, illa verò hominibus aliquid asserentibus assentiatur. Itaque scientia duos characteres, aut affectiones habere debet, *certitudinem* scilicet, ac *evidentiam*, ut certitudine quidem ab Opinione, perspicuitate vero, sive evidentia à Fide distinguatur. Quamvis enim Fides divina semper certissima esse debeat, fallique non possit, ac humana etiam Fides aliquando certissima esse possit, semper tamen ipsarum utraque obscura, ac inevidens esse debet.

Artis denique nomine vocari solet habitus ille, sive cognitio, qua præcepta quædam rite constitui, percipi, & exponi solent, quamvis ejusmodi præceptorum bonitas nulla ratione demonstretur, ut in *Poësi*, *Pictura*, *Musica* &c. Quod si fortasse non modo leges ac præcepta quædam tradantur, sed ipsorum quoque bonitas, ac ratio demonstretur, ut in *Dialectica*, ceterisque liberalibus Artibus fieri plerumque solet, tunc habitus ille nobiliori quoque *Scientiæ* nomine donari poterit; quemadmodum sane *Dialecticam*, *Ethicam*, *Musicam* &c. interdum *Artibus*, interdum *Scientiis* accenseri consuevisse conspicimus.

VIII. Quæcumque verò de prima Mentis humanæ potentia, sive *Intellectu* jam diximus, facile de altera quoque ipsius facultate

intelligi possunt, quæ *Memoria* vocatur, & ad Intellectum ipsum facile referri potest. Etenim, si objectum aliquod *actu* percipimus, dicimur *intelligere*; sin vero illud idem objectum percipimus, quod antea quoque perceptum fuerat, ac veterem cognitionem illam in nobis anteà peractam advertimus, dicimur *recordari*. Itaque ad Memoriam non modo objecti cujusdam perceptio, sed veteris etiam perceptionis cognitio, reflexio, vel *advertentia* requiritur; quod ab incorporea percipiendi vi repetendum esse jam vidimus; quamvis corporea quoque Memoria in Brutis, atque in Hominibus habeatur. Qua verò ratione corporeæ Memoriæ vis, ac perceptio in nobis peragatur, quave ratione corporeæ imagines, ac phantasmata in cerebro imprimi, conservari, & excitari subinde possint, in Physica demonstratur. Illud autem coronidis loco nunc observandum, quod cum Platonicis humanos Animos ab æterno creatos, atque in sideribus collocatos esse putarent, ut ibi perenni rerum omnium cognitione fruerentur, dum incorporeas ideas sibi impressas perspicue contemplarentur, cognitionem illam in Animis corporis mox conjunctis sensuum ope excitari dixerunt: adeoque celebre apud illos effatum erat quod *Scire nostrum est reminisci*.

CAPUT V.

De Mentis humanæ Voluntate, ejusque libertate, & affectionibus.

I. ALtera Mentis humanæ potentia, vis, ac facultas appellatur *Voluntas*, potentia nimirum humanis Animis à Deo concessa; ut ipsius præsidio ad bonum vel ad malum veluti objectum dirigantur; hoc est

in

in objectum aliquod ab intellectu sibi propositum amando inclinent, aut ab illo refugiant, ipsumque aversentur. Etenim ubi intellectus objectum aliquod antea percepit, Voluntas ipsum veluti sibi conveniens, bonum, amabile cupere, diligere, & amplecti potest; sicuti vicissim, si illud idem objectum veluti malum, atque inconveniens ab intellectu cognoscatur, Voluntas ab illo deflectere, ipsumque aversari, vel odisse potest. Hinc Voluntas ab Intellectu necessario pendere debet, nec ullus unquam voluntatis amor, aut electio in humanis Animis excitari potest, nisi prius Intellectus cognitio præcedat, qua objecti bonitas, ac amabilitas cognoscatur: unde celebre effatum illud: *Nihil volitum quin præcognitum*; nihil nempe à voluntate dirigi, vel respui posse, quod prius ab Intellectu perceptum, ipsique voluntati propositum non fuerit.

II. Quamvis tamen voluntas in singulis actibus ab Intellectu pendere debeat; ab illo tamen distinguitur non modo quod ille ad *verum*, voluntas autem ad *bonum* velut objectum feratur; verum etiam quod Intellectus objecto suo, nimirum veritati sibi perspicue propositæ, non *libere*, sed *necessario* assentiatur; voluntas autem indifferens esse debeat ut bonum aliquod sibi propositum eligat, aut aversetur; ut proinde nobilior, ac præcipua voluntatis affectio, sive proprietas sit *Libertas* ipsa, hoc est indifferens ac flexibilis arbitrii vis, qua voluntas objectum aliquod sibi propositum eligere potius, quam respuere, amare potius, quam non amare possit.

III. Sed, ut hæc ipsa voluntatis indoles, ac perfectio subtilius exponatur, ejusque libertatis character, & natura ostendatur, quæ in humanis Animis admitti debet, ob-

stre-

servasse plurimum juverit; quod actus illi, qui in nobis peraguntur, aliquando quidem *voluntarii*, aliquando vero *involuntarii* esse possunt. Voluntarii dicuntur illi, qui à voluntate veluti caussa oriuntur; in quibus nimirum eliciendis Animus ipse propensione quadam, ac veluti pondere inclinat, aut certe ab iis non abhorret, nec illos invitus exerit. Involuntarii vero vocantur illi, qui in nobis vel insciis, vel invitis peraguntur; ubi nempe nulla Mentis perceptio, nulla prorsus electio, propensio, vel determinatio præcesserit, & actus ille à nobis temere prorsus, & inconsulto producatur. Hinc optime *Voluntarium* ab Aristotele (a) definitur *id, quod fit à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio*; id nimirum, quod ab ipsa Mente eligitur postquam illa finem, objectum, & circumstancias omnes rite exploraverit, quæ actum ipsum consequuntur. Involuntarium vero definitur, *id, quod fit vel vi, vel ignorantia*; ubi nempe nulla intellectus cognitio, vel nulla voluntatis electio, ac propensio reperitur, quinetiam interdum aversio, vel repugnantia continetur.

IV. Deinde vero voluntarium ipsum, aut voluntarius actus ita distingui solet, ut alter quidem *spontaneus*, alter vero *indifferens*, perfecteque *liber* dicatur. Spontaneus actus vocatur ille, in quo producendo voluntas, Animusque noster ab extrinseca vi, causa, principio non cogitur, aut necessario impellitur ad operandum; & quamvis ipse objecto sibi proposito resistere, vel dissentiri non possit, ac tacito veluti pondere in ipsum feratur,

(a) *Ethic. Nicom. Lib. 3. cap. 1.*

ratur, adeoque necessario operetur, nulla tamen opposita propensione, & amore ad objectum aliud inclinat. Itaque spontaneus actus vim, coactionem, & repugnantiam omnem excludit, ideoque dicitur coactionis expers, vel *immunis à coactione*; quamvis necessario producatur, atque ita produci debeat, ut non produci non possit. Indifferens vero, perfecteque liber vocatur actus ille, qui sic à voluntate exeritur, ut illa prius indifferens fuerit ad operandum; actum illum potius, quam ejus oppositum consulto elegerit, ita operetur, ut ab operando desistere repente possit. Hinc ejusmodi liber, ac indifferens actus non modo vim omnem voluntati impressam, verum etiam necessitatem omnem, omnemque determinationem excludit, quæ ab altera quacumque caussa, sive principio oriatur; ideoque necessitatis expers, vel *immunis à necessitate* vocatur; atque ita indifferens esse debet, ut à libera, ac flexibili voluntatis electione, & arbitrio oriatur. Ejusmodi vero discrimen, quod in *voluntariis* actibus admitti debet, ut alii quidem *spontanei* solum, alii vero spontanei simulque *liberi* dicantur, optime accurateque observavit Aristotoles, cum ait quod quilibet electivus actus spontaneus esse debet, neque tamen vicissim quilibet spontaneus actus semper etiam indifferens, liber, & electivus esse potest; (a) *Electio spontaneum quoddam esse apparet, non idem tamen prorsus est; spontaneum enim latius patet; nam & spontaneum tum pueris, tum reliquis animalibus commune est, electio minime; & quæ de improvi-*

(a) Ethic. Nicom. Lib. 3. cap. 2.

proviso fiunt, spontanea sunt, non autem ex electione.

V. Ac spontaneos quidem actus in nobis existere, eos nimirum, in quibus exerendis nulla prorsus extrinseca vis, aut interior voluntatis aversio, vel repugnantia reperitur, intimo sensu percipimus; ut proinde *libertas à coactione* à Philosophis omnibus in humanis Animis admittatur, idque ex innumeris actibus illis ostendi potest, qui necessario quidem, sed sponte tamen, in nobis producuntur. Ita bonum non libere, sed sponte tamen amamus; apertis oculis necessario, simulque libenter, ac sponte intuemur; necessario quidem, sed tamen sponte respiramus &c. ut actus illos præteream, quos in pueris, in subitis casibus, ac inopinis sponte quidem, sed necessario, sine ulla cognitione, electione, vel indifferentia peragi Aristoteles ipse observavit. Longe gravior est difficultas, opinionumque varietas in explicanda, asserendaque ea libertate, quæ necessitatem omnem excludat; an scilicet hæc alia quoque purior, ac nobilior libertatis species in homine admitti debeat; sive potius in illo prima solum libertatis species habeatur. Ac certe quidem plurimi sunt, qui humanos Animos occulta quadam, sed ineluctabili tamen vi inflecti, vel determinari putant ad operandum; ut, quamvis illi sponte, ac libenter actum aliquem exerant, ab illo tamen desistere, ac oppositum eligere non possint; neque ipsi sibi libere, ac indifferenter actum illum eligant; sed ipsum veluti ab alio sibi præscriptum exequantur; non ideo denique operentur quia operari voluerint, sed quia potius ipsorum voluntas ab extrinseca quadam, sive intrinseca vi, caussa, aut principio inflectatur ad operandum, illoque, necessario, ac insuperabiliter ad actum

actum illum feratur. Alii vero utramque potius libertatem in hominibus admittendam esse contendunt; ut proinde in singulis ipsorum actibus indifferens, ac libera prorsus voluntatis electio, vel determinatio præcedat, ac voluntas ipsa sic operetur, ut etiam non operari potuerit; ita actum aliquem exerat, ut oppositum quoque amplecti possit, si velit; ita denique suorum actuum domina sit, ut ipsos imperio, electione, arbitrioque suo eligere, respuere, revocare, invertere, suspendere perfecte possit.

VI. Atque, ut à prima Philosophorum sententia, sive ab argumentis illis exordiar, quibus hæc indifferens arbitrii libertas impugnari, ac inevitabilis quædam necessitas in humanis actibus induci solet, plurimi existimant libertatem illam ab humani cordis affectibus, & originali peccato; alii à sideribus, aut à Fato, alii ab invariabili Dei præscientia, alii denique à physica præviaque Dei motione, divinisque decretis violari putarunt.

Etenim plurimi perfectam illam arbitrii libertatem, qua humanus Animus ad alterutrum ex duobus objectis sibi propositis eligendum prorsus indifferens foret, adeoque libere aut bonum, aut malum amplecti posset, tunc solum in ipso futuram fuisse putant, cum adhuc innocens, perfectusque ille foret, adeoque purior, e princeps hominis pars sensibus omnibus, & affectibus imperaret. Ubi vero primi parentis peccato vehemens voluptatis ardor, concupiscentiæ fomes, errores, ægritudines, & affectus in humanis Animis excitati sunt, voluntas ipsa ad malum pronior, quam ad bonum esse cœpit, adeoque nunc ad malum ipsum tacito quodam pondere abripitur. Hinc Calvinus, Luterus, aliique plurimi libertatem

ipsam primi parentis peccato nobis ereptam, aut mire viciatam *vulneratam*, *immo confectam*, & *extinctam* (*a*) esse dixerunt; ut proinde nunc homines *sponte* quidem, sed *necessario* tamen, ad objecta ferantur, atque ingenito voluptatis ardori resistere, vel repugnare non possint.

Assyrii vero, Chaldæi, aliique plures, quibus præsertim hæc originis labes ignota fuit, arbitrii nostri vires ab occultis siderum influxibus violari, adeoque in humanis Animis inevitabilem quandam necessitatem induci putarunt. (*b*) Illi nimirum eventus omnes ab occulto quodam siderum influxu, & adspectu ita pendere opinantur, ut ipsi quoque humanæ voluntatis actus aliter contingere, sive produci non possint, quàm ut varius ille siderum ordo, influxus, adspectus portenderat, sub quo hominum quilibet natus foret. Hinc Genethliaci, Chaldæi, Astrologi, vel Mathematici, cum ejusmodi siderum adspectus observassent, futuros hominis cujusque casus, omnemque actuum seriem prædicere se posse gloriabantur. Ita quoque futuros omnes singularum rerum eventus à Fato præscriptos, ac definitos esse plerique Veteres existimarunt; ac Fatum ipsum veluti supremum quoddam Numen hominibus, ac Diis ipsis imperans effinxere, quod futura quælibet invariabili, æternoque Decreto ita sanxisset, ut némo prorsus Fatorum vim effugere, iisque adversari posset; sed hominum quilibet in exerendis actibus omnibus Fatorum ordinem sequi, ac necessario implere deberet.

VII. Hæc

(*a*) *Calvin. Instit. Lib. 2 cap. 2.*
(*b*) *Vid. Cic. de Fato cap. 5.*

VII. Hæc tamen omnia facile profecto dirimi, sive refelli poterunt. Etenim, quamvis primi parentis peccato indifferens illa, æquabilis, perfecteque libera arbitrii vis, quæ homini concessa fuerat, pronior ad malum, quam ad bonum, evaserit; perspicuo tamen certoque sensu percipimus, ac experimur vim, potestatem, ac imperium illud adhuc in nobis existere, quo sensuum illecebris, corporeis motibus, & affectibus adversari possimus; cumque tacito corporeæ cupiditatis ardore ad objectum aliquod impellimur, eam tamen vim nobis inesse sentimus, qua objectum illud respuere, ipsique oppositum amplecti possimus. Itaque plena voluntatis libertas violata, ac vulnerata quidem, non vero prorsus erepta, vel extincta fuit; adeoque nunc etiam non sponte solum, sed etiam libere, cum volumus, operamur.

Quod vero ad occultam siderum vim, ac influxum attinet, qui ab Assyriis, Astrologis, aliisque id genus hariolis effingebatur, jamdiu est quod impudens illa, ac levissima æruscatorum hominum opinio melioris Physices præsidio rejecta fuit: ut proinde argumenta, quæ adversus hominis libertatem ex variis siderum adspectibus afferebantur, contemni potius ac irrideri, quam serio graviterque refelli nunc debeant.

Ita quoque Fati natura, ejusque decretorum series, de qua Stoici præsertim subtiliter adeo disputarunt, una cum Ethnicæ Religionis erroribus obsolevit, puriorique rationis lumine facile innotuit. Fatum illud, quod à vero, supremoque Numine distinctum à Stoicis, aliisque pluribus effingebatur, imaginarium prorsus, ac inane nomen esse oportere; quemadmodum sane Seneca, (a) quam-

(a) *Nat. Quæst. Lib. 2. cap. 45.*

quamvis Stoicæ doctrinæ assertor, *Fati* nomine nihil aliud intelligi posse putavit, quam *Deum*, qui futuris omnibus legem præscripserit, hæc futura potius, quam non futura, decreverit; adeoque eventus omnes, & singulos humanæ voluntatis actus invariabili decreto, atque immutabili serie constituerit.

VIII. Itaque id unum supererit, ut libertas ipsa, ac indifferens agendi vis à divina solum præscientia, divinisque decretis impediri, violari, vel extingui posse dicatur. Etenim Deus quidquid in creatis caussis omnibus erat futurum, perspicue certoque cognovit; futuros omnes humanæ voluntatis actus perspicue prævidit; atque ejusmodi Dei præscientia decipi fallique non potest, nihilque prorsus alia ratione contingere, vel produci potest, quàm ut à Deo prævisum fuerat. Ita quoque constitui supponique debet quod Deus ab æterno futuros effectus omnes, aut casus invariabili decreto sancivit; nihilque prorsus alia ratione fieri, contingere, vel esse potest, quam ut ab ipso Deo decretum, vel invariabili decretorum serie constitutum fuerit. Ergo, inquiunt aut Fati, aut Necessitatis assertores, si illud unum ab hominibus eligi, sive produci debet, quod ab æterno invariabili Dei cognitione prævisum, ac immutabili Dei decreto constitutum fuit, ac humana voluntas aliquid eligendo ab ejusmodi Dei præscientia, decretisque deflectere, vel dissentiri non potest, qui fieri, salvari, vel explicari unquam poterit quod humanus Animus adhuc indifferens, necessitatis expers, ac liber sit, ac voluntas ipsa operari vel non operari possit, hoc est actum illum exerere, vel non exerere, quem Deus ab illa producendum esse jam viderat, certoque decreverat? Ita-

que certissima Dei præscientia, ac immutabilis ipsius decretorum series cum humanorum actuum contingentia, humanæque voluntatis arbitrio, indifferentia, libertate componi non poterit; cumque scientia illa, ac decreta certissime admitti debeant, indifferens illa arbitrii libertas intelligi, vel explicari non poterit; adeoque in humanis Animis ea solum libertas supererit, qua sponte, libenterque divinæ voluntatis impulsum sequantur, ac tacito quidem & occulto, sed insuperabili tamen pondere ac motu quidquid à Deo prævisum ac decretum fuerit, exequantur. Ejusmodi verò argumenti vis, quæ maxima certe esse debet, ab Ethnicis quoque Philosophis observata fuit; ut proinde Cicero, * cum humanos Animos intelligeret liberos esse oportere, divinam præscientiam, ac Fati decreta negaverit; alii verò, cum divinam præscientiam, supremique Numinis decreta negari non posse censerent, * * humanæ libertatis arbitrium sustulere; quod nimirum utrique præscientiam, ac decretum illud cum humana libertate componi, certoque fœdere conjungi non posse putarent.

IX. Ac facile quidem ejus argumenti robur eludi, vel infringi posset, optimeque humana libertas cum divina præscientia, ac voluntate componi, si decreta ipsa, ac præscien-

---

* Ne in Deum quidem cadere videtur ut sciat quid casu, & fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna, rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio. *Cic. de divinatione cap. 18.*

* * Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum apertissima insania est. *S. Aug. de Civit. Dei Lib. 5. cap. 9.*

scientia ex humanis actibus libere futuris; hoc est ex ipsa hominis voluntate penderet, ut aliqui existimarunt. Siquidem opinantur illi quod Deus ab æterno nitida, ac infinita comprehensione sua exploravit quid hominum quilibet solis arbitrii sui viribus in singulis rerum, temporum, locorum circumstantiis esset facturus; cumque in ipsis hominum voluntatibus, veluti liberis caussis, actus omnes ab illis libere producendos prævidisset, hac ipsa prævisione, vel scientia duce eosdem illos actus à singulis hominibus producendos invariabili decreto suo sancivit, quos libere ab iis producendos esse jam noverat. Itaque, licet Dei cognitio falli, ejusque decreta variari non possint, nihil tamen libertati nostræ illa detrahunt, cum illud idem à Deo veluti futurum decernatur, quod ex libera hominis voluntate futurum esse præviderat.

X. Sed hypothesis illa, sive concordiæ species rationis lumini, creatæ voluntatis indoli repugnat, divinæque potentiæ, dignitati, supremoque imperio plurimum detrahit. Etenim, ut opportunius in Physica demonstratur, creata caussa, quæcumque illa sit, quamvis agendi vim à Deo receperit, eam tamen exerere, vel actu operari non poterit, nisi prius ab ipso Deo, veluti prima, supremaque caussa applicetur, moveatur, ac determinetur ad operandum; * adeoque ipsa quoque voluntas, quamvis arbitrio, liber-

* Certum est nos velle cum volumus; sed Deus facit ut velimus bonum. Certum est nos facere cum facimus; sed ille facit, ut faciamus præbendo Vires efficacissimas voluntati. *S. Aug. de Grat. & lib arb. n. 32. al. cap. 16.*

libertate, eligendi viribus prædita fuerit, actu operari, aliquid eligere, seque ad objectum aliquod inflectere, vel determinare non potest, nisi prius ab ipso Deo prævia, physicaque motione determinata fuerit ad operandum; alioquin, si voluntatis electio, ac determinatio à voluntate sola, non autem à Deo orietur, admitti deberet ens aliquod, quod à Deo productum non foret; ac voluntas ipsa sive voluntatis arbitrium, quod prius indifferens erat, si independenter à Dei motione se ipsum inflecteret, ac determinaret ad operandum, seipsum nobilius, ac perfectius efficeret, quam ut à Deo creatum fuerat. Itaque tantum abest ut Deus ab æterno explorare, vel prævidere potuerit quid singulæ hominum voluntates solis arbitrii viribus essent facturæ, ut nitide potius, certoque cognoverit quod ipsæ indole naturaque sua prorsus inertes, ac indifferentes esse debebant, nihilque prorsus ab iis produci poterat, nisi prius indifferens ipsarum potentia prævio quodam veroque influxu divino determinatæ fuissent ad operandum. * Certe infinitum illud imperium, supremumque jus, quod Deus in quodlibet entis genus, adeoque in ipsas etiam hominum voluntates, earumque actus habere debet, non patitur ut actus aliquis independenter à Deo futurus admittatur; tantumque abest ut Deus ens aliquod futurum potius, quam non futu-

* Ut ergo velimus sine nobis operatur Deus; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera nihil valemus. *S. Aug de Grat. & lib. arb. n. 33.*

turum, prævideiit; aut decreverit ex eo quod illud independenter à Dei motione, & decreto foret futurum, ut potius ens quodlibet ideo solum futurum concipi debeat, quia Deus ipse illud futurum esse decrevit, atque in decreto ipso, ipsum veluti futurum agnovit. * Hinc de supremi Numinis potestate, ac imperio longe nobilius Ethnici sapientes illi senserunt, qui res omnes ideo futuras putarunt quod ab illo decretæ libereque constitutæ forent: quamvis ii perperam aut libertatem sustulerint, aut ipsam inepta prorsus ratione cum Fato, divinisque decretis componere tentaverint.

XI. Exinde verò dissidentes illæ tum veterum tum recentiorum quoque Philosophorum opiniones, aut errores manarunt quod ejusmodi concordiæ genus, quod inter humanæ voluntatis arbitrium, divinamque præscientiam admitti debet, ab hominibus inquiri, percipi, vel explicari posse putaverint; adeoque plurimi hypotheses illas temere excogitarunt, quæ ad alterutrum extremum vergerent, ideoque aut humanæ libertati, aut divinæ potentiæ detraherent, aut certe detrahere viderentur. Illud unum hic à Philosophis ingenue, accurateque inquirendum fuerat an indifferens arbitrii vis in humanis reperiatur, an invariabilis futurorum omnium præscientia, immutabilis decretorum series in Deo admittenda sit, quæ res omnes potius futuras, quam non futuras efficiat; deinde vero, cum utroque admitten-

* Universas creaturas spirituales, & corporales, non quia sunt futuræ, ideo novit Deus; sed ideo sunt futuræ, quia novit. *S. Aug. de Trinit. Lib. 4. c. 22. al. c. 13.*

rendum esse perspicuis, certisque rationibus explorassent, utrumque rite componi posse fateri tenebantur; non vero modum, leges, aut fœdera inquirere, quibus ejusmodi concordia peragi, salvari, exponique posset. Cum enim fœdus illud ex infinita Dei potentia, sapientia, agendique vi, ex innato, atque admirabili operandi modo oriatur, quo Deus in creatis rebus omnibus uti potest, admirabilis ille agendi modus tenues humanæ Mentis vires excedit, adeoque nitide à nobis percipi, vel explicari non potest. Quemadmodum ergo in plurimis rebus aliis, atque in ipso quoque Corporis, Animique fœdere explicando ingenuè fateri cogimur, plurima à Deo fieri posse, quæ nos investigare, vel explicare certe non possimus, atque in iis certitudinem solum, non perspicuitatem inquirimus, ita quoque cum de admirabili Dei præscientia, decretis, imperio, ac potestate disserimus, solam certitudinem inquirere debemus, perspicuis nempe rationibus assentiri, quibus indifferens illud arbitrii genus in nobis existere sentimus; quamvis occultum prorsus, & arcanum sit quo fœdere, quibusque legibus arbitrium illud cum divina præscientia, divinisque decretis conjungatur.

XII. Ejusmodi vero flexibilem arbitrii vim, adeoque perfectam illam indifferentiæ libertatem in nobis existere non aliunde melius, quam ex conscientia, experimento intimoque sensu ostendi potest. Etenim nostrum quilibet, si voluntatis indolem, ejusque vires, & actus consideret, perspicuo sane ac vivido sensu percipiet se in exerendis illis plane liberum, ac indifferentem esse, ut objectum aliquod eligat, quod aversari etiam poterat; ita operetur, ut etiam non operari potuerit; ita seipsum determinet, perinde

quasi nulla Dei præscientia, nulla Dei motio, nullumque decretum præcessisset. Ergo, licet perspicue certoque intelligat se nihil omnino eligere, cupere, operari posse, quod invariabili Dei decreto sancitum, ac prædefinitum non fuerit, nihilque prorsus operari se posse, quod ejusmodi decretis adversetur; perspicue tamen certoque uno eodemque tempore intelligit, sentit, ac experitur præscientiam illam, ac decretorum seriem libertati, arbitrioque suo nihil detrahere, seque in ipsis etiam divinæ voluntatis decretis exequendis, sub ipsis etiam divinæ motionis, ac potentiæ viribus adhuc indifferentem, actus sui dominum, ac liberum esse oportere.

XIII. Hæc ipsa quoque propriæ libertatis persuasio, intimusque sensus, quo, suppositis etiam divinis decretis, nos adhuc liberos, ac indifferentes esse percipimus, adeoque singula arbitrii, liberæque voluntatis nostræ viribus futura potius, quam non futura, intelligimus, ex innumeris actibus illis apparet, quos certe exerere nunquam vellemus, nisi earum quoque rerum exitum, quæ à Deo decretæ, ac præcisæ fuerant, à nobis pendere, sive in imperio, ac potestate nostra collocatum esse putaremus. Ita navita, qui fluctibus ac tempestate jactatur, quamvis à Deo sancitum esse arbitretur ut ipse aut fluctibus absorberi, aut incolumis portum subire debeat, remis tamen ac velis utitur, perinde quasi nihil à Deo de salute, vel interitu suo decretum fuisset. Itaque, si ii quoque qui Fatum, divinam præscientiam, divinumque decretum admittunt, tacito quodam, ac perenni naturæ ductu, rationisque lumine impelluntur, ut ipsi quoque suos actus exerant, ex pluribus objectis unum potius, quam aliud eligant, futuros rerum

exi-

exitus liberos, ac in arbitrii potestate positos arbitrentur, quis aperte non videat arbitrii nostri cognitionem, sensum, persuasionem nobis ingenitam esse; neque innatam hanc, vividamque libertatis ideam in nobis extingui posse?

XIV. Ex hac ipsa libertatis idea, intimoque sensu, aut persuasione, quæ singulis hominum mentibus impressa fuit, tum divinarum, tum humanarum legum æquitas, & obligandi vis veluti fonte dimanat. Etenim, nisi in hominibus ipsis ea libertatis species, & arbitrii vis existeret, quæ necessitatem omnem excluderet, ipsique non libere, sed necessario suos actus exererent, prorsus iniquum fuisset determinatos quosdam actus ipsis præscribere; longeque iniquius foret pœnas ab iis exigere, qui actus illos elicere neglexissent. Ille nimirum, qui legem violasset, aut actum aliquem ipsi contrarium produxisset, facile aut homini aut Deo vindici, acultori reponere profecto posset se actum illum non libere, sed necessario potius produxisse; invariabili nempe Dei decreto sancitum fuisse ut hunc potius, quam actum alium, eligeret, sibique libertatem, indifferentiam, ac potestatem illam ademptam fuisse, qua quodpiam divino decreto contrarium efficere posset. Quod si hoc immane injustitiæ, ac tyrannidis genus in Legumlatoribus, præsertim vero in optimo, æquissimo, amantissimo, sapientissimoque Deo sine summo scelere fingi non potest, necessario dicendum erit quod cum invariabili divina præscientia, cum immutabili divino decreto flexibilis arbitrii vis, indifferens ac libera hominis voluntas componi potest; quamvis ejusmodi concordiæ modus ab intellectu nostro percipi, comprehendique non possit.

XV. Denique libertas ipsa, ac indifferens agendi, vel non agendi potentia alia quoque ratione ostendi poterit, simulque caussa demonstrari, ex qua veluti fonte in nobis oriatur. Itaque libertas illa, ac indifferens eligendi vel non eligendi vis partim quidem ab *intellectu*, partim vero à *voluntate* repeti, sivé pendere debet. Etenim intellectus, ut experimento ipso perspicue apparet, non semper unum idemque objectum percipit, aut unum idemque objectum semper uno eodemque modo voluntati proponit; verum potius ex unius objecti cognitione ad objectum aliud digreditur, atque unum idemque objectum aliquando quidem ut bonum, utile, conveniens, aliquando vero ut malum, inutile, ac repugnans apprehendit. Itaque, si voluntas intellectum veluti ducem sequi, ejusque cognitione in suis actibus exerendis dirigi debet, tanta vero ac infinita fere varietas in intellectus cognitione reperitur, dubitari certe non poterit quin maxima quoque, ac infinita affectuum, ac *volitionum* series in voluntate esse debeat; ideoque prima libertatis caussa & origo ex ipsa intellectus cognitione deduci possit. Altera vero libertatis caussa ex ipsa voluntatis indole deduci debet. Siquidem voluntas indole naturaque sua non ad unicum, & peculiare, quoddam bonum, sed ad omnia potius ac infinita bona dirigitur, cum ens quodlibet bonum, perfectum, adeoque amabile esse possit, ut alibi jam demonstravimus. Ergo voluntatis cupiditas, amor, potentia, capacitas, & amandi vis propemodum infinita à nullo finito, peculiari, creatoque bono perfici, expleri, satiarique potest; ideoque, si voluntas in objectum aliquod inclinet, ejusque bonitate vel amabilitate ducatur, interim tamen dum illud diligit ad objectum aliud

con-

converti, ipsius bonitate, ac amabilitate trahi poterit; ita demum actu aliquem eliget, ut oppositum quoque amplecti possit, si velit.

XVI. Quandoquidem ergo voluntas ita libera, vel indifferens esse debet, ut non modo actum aliquam eligere, vel non eligere, verum etiam aut actum ipsum, aut ipsius oppositum amplecti possit, libertas ipsa ita distingui solet, ut alia quidem *contradictionis*, alia vero *contrarietatis* dicatur. Libertas contradictionis vocatur illa, qua voluntas ad alterutrum ex duobus contradictoriis dirigitur ut alterutrum ex illis eligat, adeoque *operetur*, vel *non operetur*. Libertas vero contrarietatis dicitur illa, qua voluntas ad alterutrum ex duobus objectis invicem contrariis, hoc est ad *bonum*, aut ad *malum* dirigi, & inflecti potest. Utramque libertatem in nobis existere superius demonstravimus; & quamvis ad *essentiam* humanæ libertatis hæc ultima ipsius species necessario non requiratur; in hac ipsa tamen hominum conditione, vel statu libertas etiam contrarietatis admitti debet, ut fuse, accurateque à Theologis demonstratur; quemadmodum prorsus ab iis contra Jansenium, aliosque plures ostenditur *meritum*, aut *demeritum*, quod humanis actibus inesse possit, ex *indifferentia* perfectaque libertate oriri debere, quæ necessitatem omnem excludat, ideoque interdum quidem ad contraria, interdum vero ad contradictoria objecta converti possit. Quamvis autem Deus perfectissima, ac infinita libertate præditus sit, ut suo loco mox ostendetur; sola tamen libertas *contradictionis* in illo admitti potest; cum bonum quidem agere, aut non agere, nunquam vero malum eligere, vel operari ille possit.

XVII. Quemadmodum vero intellectus suas affectiones, habitusque suos ex iteratis actibus acquirit, ita quoque voluntas ipsa suis habitibus, affectionibus, aut qualitatibus exornatur, quæ cum ex bonis, aut malis actibus oriantur, ad bonos vel malos actus iterum producendos inclinent, adeoque mores respiciant, *morales Habitus* appellantur. Ejusmodi certe sunt *Virtutes* omnes, *Vitia*, & *Affectus*; sed ita tamen ut virtutes ipsæ semper bonæ sint, ex bonis actibus oriantur, atque ad honestos actus semper inclinent; vitia vero tum prava in se sint, tum ex pravis actibus acquisita ad pravos etiam, ac inhonestos actus iterum producendos impellant. Quod enim ad Affectus ipsos, aut Animi motus, & ægritudines attinet, indole naturaque sua neque boni, neque pravi sunt, sed prorsus indifferentes ut ad bonum, aut ad malum dirigi, adeoque in virtutes, aut vitia converti possint. Itaque Stoicorum opinio, qui Affectus omnes suapte natura pravos, adeoque ex humanis Animis extirpandos esse putabant, longe severior censeri debet, quam ut hominibus proponi possit; cum præsertim virtutes ipsæ ex temperatis Animi motibus, sive Affectibus rite compositis oriantur, ut post Aristotelem (*a*) fuse, & elegantissime Cicero (*b*) demonstravit. Sed hæc, aliaque id genus, quæ ad morales Animi perfectiones, habitusque pertinent, in Ethica demonstrantur; quemadmodum in Physicis ostendi solet, qua lege, quibusque viribus Affectus ipsi ex varia humani corporis indole, ac dispositio-

---

(*a*) *Moral. Nicom. Lib.* 2. *cap.* 4.
(*b*) *Tuscul. Lib.* 4. *cap.* 20.

ficione, externorum corporum actione, vividiori sanguinis, ac spirituum animalium motu in nobis excitari, foverique consueverint; ut proinde subtilior, & accurata Affectuum, virtutum, ac vitiorum cognitio partim ex Physicis, partim ex Ethicis, partis etiam ex Metaphysicis repetenda merito videatur.

CAPUT VI.

De Corporis, Animique unione, ipsorumque commercio.

I. QUamvis Animi nostri, humanæque Mentis natura, vires, affectiones, ac operandi modus ægre à nobis intelligi, vel explicari possit; atque, ut præclare dicebat Cicero, (a) *illud maximum sit Animo ipso Animum videre, naturam tamen ejusdem Animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis Animus in Corpore sit tanquam alienæ domi, quam qualis cum exierit*; quemadmodum Augustinus ait quod *modus, quo Corporibus adhærens Spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest*. Ac certe quidem, si Animus ipse veluti sejunctus à Corpore concipiatur, ejusque vires, & affectiones omnes accurate explorentur, facile profecto intelligi, ostendique potest ipsius substantiam incorpoream, ac immortalem esse oportere; ipsum duabus agendi viribus præditum esse, ut altera quidem ad *verum*, altera vero ad *bonum* veluti objectum

(a) *Tusc. Lib. 1. cap. 22.*

ctum dirigatur; ex ipsarum una plurima cognitionum genera, ex altera libera ac indifferentes voluntatis actus oriantur, ut superioribus Capitibus demonstravimus. Sin vero Animus ipse veluti Corpori conjunctus concipiatur, quis nitide certoque intelligat qua lege, quo fœdere, quibusve nexibus incorporea, ac immortalis Animi substantia materiali, & mortali Corpori conjungatur, à corporeis sensibus, & affectionibus ita pendere debeat, ut nihil propemodum independenter ab illis operari possit; in quanam Corporis parte veluti sede reperiatur; qua denique ratione non incorporeos solum actus Deo, & Angelis communes, verùm etiam plurimos actus alios producere videatur, qui corpori ac Plantis etiam, & Brutis communes censentur. Itaque hæc omnia meliori quo poterit ordine nunc ostendemus, ut illustriores tum veterum, tum recentiorum quoque Philosophorum sententiæ proponantur, ac ipsarum aliqua, si fieri id quidem poterit, quæ clarior, & accuratior fuerit, eligatur.

II. Atque illud in ipso veluti limine tanquam certum constitui nunc debet, quod humanus Animus, sive ut frequentius appellatur, *Anima rationalis*, est intrinsecum, ac substantiale principium, quo homo intrinsece perficitur, ut ab illo novum *esse substantiale* recipiat; & à ceteris animantibus, ac rebus omnibus essentia, substantiaque sua distinguatur; quemadmodum sane in Viennensi, ac Lateranensi Concilio definitum fuit Animam rationalem esse *formam substantialem* hominis contra Philosophos illos, qui ipsam nihil aliud esse putarunt, quam principium, ac substantiam quandam, quæ Corpori solum adesset, ipsi fortuito ac veluti extrinsece conjungeretur, eodemque prorsus

modo

modo Corpus afficeret, moveret, moderaretur, quo navita navim impellit, ac humanum Corpus ab Angelo, vel ab alio corpore impelleretur. Ejusmodi vero sententiam non modo divinæ fidei lumini, sed perspicuis quoque certisque rationibus adversari inferius opportune ostendetur ubi de Cartesii, Leibnitii, aliorumque opinionibus agendum erit. Itaque dubitari sane non poterit quin Anima rationalis intrinseca, & essentialis quædam perfectio, substantia, sive principium sit, quod *hominem* ipsum constituit, ut proinde *substantialis* ipsius *forma*, intrinsecus ejusdem actus haberi illa debeat.

III. Exinde vero Peripatetici veluti nitido, certoque argumento deduci posse arbitrantur quod Animi nostri substantia, quamvis incorporea, inextensa, partium expers, ac indivisibilis sit, in singulis tamen corporis partibus reperiatur, adeoque per totum Corpus admirabili quadam, ac peculiari ratione diffundatur; non ita quidem ut aliqua Animi pars in aliqua Corporis parte, tandemque tota Animi substantia in toto Corpore reperiatur; sed ita potius ut integra, ac tota Animi substantia in toto Corpore, simulque eadem integra, ac tota in qualibet vel exigua Corporis parte esse debeat; ea tamen lege, ut non æqualiter ipsarum singulas *informet*, actuet, perficiat, eodemque modo in ipsarum singulis operetur; sed in aliquibus *vegetativæ*, in aliis *sensitivæ* Animæ vires exerceat; & quamvis unica, simplex, ac indivisibilis illa sit, eadem tamen munera, & actus omnes in humano corpore præstare possit, qui in Plantis, ac Brutis à Vegetativa, vel Sensitiva Anima peraguntur: perinde quasi tres Animæ invicem distinctæ in humano Corpore reperirentur;

quemadmodum ſane à pluribus Peripateticis aliis hæc Animarum varietas atque diſtinctio admitti ſolet, ut proinde homines *Vegetativa*, *Senſitiva*, & *Rationali* Anima præditi ſint, earumque viribus ac præſidio tria operationum genera producere illi poſſint. Quandoquidem vero triplex illa Animarum varietas Animi dignitati detrahere exiſtimatur, longeque veriſimilius cenſeri ſolet quod purior, ſublimior, ac perfectior Animi ſubſtantia inferiorum Animarum vires, & facultates omnes *virtualiter*, ac *eminenter* in ſe complectatur, ideoque ſimplex Animi ſubſtantia aliarum vices implere, actuſque ſingulos exerere ſubinde poſſit, plerique ſane Peripatetici, Ariſtotele duce, unicam rationalem Animam in humano corpore admittunt, adeoque ipſam, formæ ſubſtantialis inſtar in toto Corpore diffuſam eſſe contendunt.

IV. Ac certe quidem quod Animus in ſingulis humani Corporis partibus adeſſe, adeoque ſingulas partes pervadere, illas intime perficere debeat, ex variis ipſius operationibus inferri poſſe arbitrantur. Etenim, inquiunt illi, in ſingulis extremis etiam Corporis partibus nutritio, ac vegetatio reperitur, in omnibus fere perceptio, ac ſenſatio peragitur; ut cum manus igni admovetur, ipſoque aduritur, caloris ſenſatio, ac doloris perceptio in ipſa manu ſentitur. Itaque ſi operationes illæ ab Animo veluti fonte oriuntur, ac operationes ipſæ non alibi, quam in variis, externis etiam Corporis humani partibus peraguntur, dubitari plane non poterit quin Animi ſubſtantia partibus ipſis ineſſe, eas pervadere, totique Corpori coextenſa eſſe debeat. Accedit etiam quod *formæ ſubſtantiales*, adeoque *primi*, & *ſubſtantiales actus*, quicumque illi ſint, materiam

ſuam

suam perficere debent, nihilque prorsus in materia, cui substantialis illa forma intrinsece conjuncta fuerit, produci potest, quod à forma substantiali non oriatur, ac vicissim in formam ipsam influere, ac manare non debeat. Ergo humanus Animus aliarum formarum substantialium instar materiam suam, humanum nempe Corpus, afficere, in ipsum agere, ac influere poterit; adeoque vicissim à materiæ Corporisque motibus affici, miraque lege percelli poterit. Itaque mutua illa Corporis, Animique connexio, simulque mutua operationum dependentia ex ipsa *formæ substantialis* idea, ac natura deduci debet; ideoque, cum humanus Animus ejusmodi formæ substantialis indole, natura, charactere præditus sit, exinde facile Corporis, Animique connexio repeti, intelligi, exponique poterit.

V. Quamvis tamen hæc maximam veri speciem præferre videantur, adeoque celebris illa Peripateticorum opinio sacris Theologiæ dogmatis, experimento, perspicuis rationibus inniti censeatur; nulla tamen auctoritas, aut certa ratio proferri unquam poterit, qua hæc Animi diffusio, vel extensio demonstretur. Etenim utut humanus Animus *substantialis hominis forma* dicatur, quod in Viennensi, ac Lateranensi Concilio definitum fuit, non certe requiritur ut illa corporearum formarum instar singulis materiæ suæ, Corporisque partibus inesse debeat, ac operationes omnes, quæ in homine producantur, ab illa solum velut unico, communique principio oriantur; alioquin illorum opinio, qui simul in homine *formam corporeitatis*, aut *vegetativam* insuper, ac *Sensitivam* Animam admittunt, hæretica divinæque doctrinæ contraria censenda foret, quod nemo profecto dixerit; sed illud unum requiritur, ut

humanus Animus veluti intrinseca, essentialis, substantialis hominis pars in ipso reperiatur, ipsi novum, verum, intrinsecum, substantialem actum, perfectionem, aut esse concedat, quod à principiis, actibus, formis, ac perfectionibus aliis oriri non possit. Id vero facile intelligi, optimeque salvari poterit, quamvis etiam vegetatio non ab Animo, sed aut ab Anima vegetativa, aut potius à sola partium textura, corporisque *organizatione* oriatur; ut quemadmodum nempe in Plantis ipsis nutritio, vegetatio, ceteræque operationes omnes sine ulla prorsus Anima ex solo partium ordine, humorum varietate, fibrarum textura, ceterisque corporeis affectionibus oriuntur, ita quoque in humano Corpore non ab Animo, sed ab ipsa Corporis indole producantur. Quod vero ad sensationes attinet, illæ quoque non ab incorporea Animi nostri substantia, sed ab Anima sensitiva, quæ ab Animo distincta sit, ut Peripateticis pluribus placuit, oriri possunt. Sed, quamvis etiam ab Animo solum, veluti fonte ac principio producantur, quod Animæ sensitivæ vires, ac munera in hominibus peragat, non inde tamen inferri poterit quod ille in singulas Corporis partes diffundatur: cum sensationes ipsæ in externis quidem Corporis partibus incipere debeant, ubi nervorum fibræ, spiritusque animales nervis inclusi percelli, moveri, certaque vibratione perciri ad cerebrum, sive nervorum originem, urgeri debent; sed in solo tamen cerebro perfici possunt, ubi Animus externorum corporum actionem, nervorumque motum percipit, ac in illo ex inita jam consuetudine, & experimento sensationem, affectionemque sibi impressam percipit; ut opportunius in Physica demonstratur. Ergo, licet nutritio, ac sensatio non ab

Ani-

Animo, sed à principiis aliis oriri dicatur, semper tamen Animus ipse *substantialis hominis forma* vocari, censerique poterit, cum ab illo solum *volitio*, *cognitio*, ceteræque cogitationum species, quæ hominis propriæ, ac peculiares sunt, oriantur, adeoque novum, ac substantiale quoddam esse homini concedat, quod à formis, ac principiis aliis oriri non potest. Et quamvis etiam non modo *cogitatio*, sed ipsa quoque *sensatio* ab Animi substantia oriri dicatur, cum sensationes omnes non in externis Corporis partibus, sed in solo cerebro peragantur, nihil est certe cur Animi substantia per totum Corpus diffusa censeatur, idque ex sacris illis Conciliorum decretis perspicue traditum temere existimetur.

VI. Itaque plurimi tum ex veteribus, tum recentioribus præsertim Philosophis Animum in aliqua solum Corporis parte collocatam esse putarunt, ac ipsorum plerique in eo consensere, ut principem Animæ partem, hoc est Animum ipsum, in solo cerebro veluti sede positum existimarent; (a) ut quemadmodum nempe in illo nervorum omnium origines reperiuntur, & affectiones omnes, ac vibrationes spiritibus animalibus impressæ ad cerebrum deferuntur, ita quoque verisimilius in cerebro veluti sede, Animus constitui debeat.

Quæcunque tamen Corporis pars Animo veluti sedes tribuatur, & quamvis etiam ipsius substantia admirabili quadam lege per universam corporis compagem extensa supponatur, semper tamen obscurum, mentibusque

(a) Vid. Plutar. de Plac. Phil. lib. 4. cap. 5.

que nostris impervium supererit qua ratione Animus ipse humanum corpus fovere, impellere, moderari, in ipsum influere, variosque motus libere ac repente producere in illo possit: sicuti vicissim Corpus ipsum in Animi substantiam agere, motusque suos, & affectiones ad incorpoream usque Animi substantiam propagare, ut mutua quædam operationum connexio, dependentia, societas, & commercium habeatur.

VII. Cartesius, aliique plurimi, qui ipsius vestigiis institere, mutuam hanc Corporis, Animique dependentiam à solo Deo veluti *efficiente* caussa repetendam esse arbitrantur; ut proinde Corporis, Animique motus *occasionales* solum caussæ censeri debeant, quibus positis Deus ipse admirabili quadam constantique lege motus aliquos, aut affectiones inter se similes, sibique convenientes in Animo, vel Corpore producat. Itaque existimant quod ubi corporeus quidam motus in corpore producatur, ipsius occasione Deus ipse incorporeum quendam motum, & affectionem corporeo huic motui similem, consonam, aut respondentem excitet in Animo; sicuti vicissim ubi incorporeus quidam motus, affectio, cogitatio excitatur in Animo, Deus ipse occasione illius incorporei motus corporeum motum, & affectionem illi respondentem, illi nimirum juxta leges ac fœdera à Deo constituta convenientem, in Corpore producat; quo plane fieret ut neque Corpus in Animum, neque vicissim Animus in Corpus agere, ac influere unquam possit; sed corporei motus in solo Corpore, incorporei vicissim in solo Animo remaneant; at Deus ipse efficiens motuum illorum caussa censendus sit, qui tum in Animo, tum in Corpore producantur.

VIII. Hæc tamen hypothesis, vel ut à

Car-

Cartesianis appellatur, *Caussarum occasionalium Systema*, quamvis elegans, & explicandæ Corporis Animique connexioni mire accommodatum videatur; fortasse tamen liberius, Animique viribus, ac dignitati contrarium censeri poterit. Etenim, licet Cartesianis ipsis facile concedatur quod humanum corpus in Animi substantiam *physice*, vereque influere non possit, ac spirituum animalium motus, seu vibrationes illæ, quæ in spiritibus ipsis, nervorum fibris, sensuum organis, ac cerebro peraguntur, Animum percellere, afficere, commovere nequeant; ideoque Corpus non *efficiens*, sed *occasionalis* solum motuum illorum caussa esse debeat, qui in Animo excitantur, quis tamen nitide certoque nobis ostendat quod incorporei quoque Animi motus ad Corpus ipsum diffundi, ipsumque afficere, ac movere non possint? Certe Dei substantia, quamvis incorporea, simplex, atque à materiæ vel corporis indole mire distincta, secreta, ac diversa sit, cum tamen ille infinita agendi vi præditus sit, corpus creare, disponere, & quo libuerit impellere profecto potest. Quid ergo prohibet ne Deus creatis etiam Spiritibus, Animisque nostris, quos regendo Corpori destinavit, tum nobilioribus aliis agendi viribus eam quoque concesserit ut Corpus ipsum movere possent; ideoque voluntatis actus, qui in Animo excitentur, in Corpus ipsum non corporeo quidem, sed physico tamen, veroque influxu agere, adeoque corporeum motum incorporeo voluntatis actui consonum producerent? Id ipsa fere Corporis Animique conjunctio postulare videtur; ut, si Corpus ipsum vehiti inferior hominis, sive compositi physici pars, cui rudiores solum agendi vires, sive potius sola perpassionis, recipiendique motus capacitas com-

concessa fuit, in nobiliorem partem aliam agere, ac influere non potest, nobilior tamen pars alia, nimirum Animus in Corpus sibi conjunctum physico, veroque influxu operetur; alioquin nobilior illa, ac vividior Animi substantia nihil à Corpore hac in parte, vel agendi modo distingueretur. Ita quoque jus, ac imperium illud, quod Animo in Corpus concessum fuit, ut ipsum regere, ac moderari dicatur, vix ac ne vix quidem intelligi, & explicari poterit, si Corpus ipsum ab Animo non veluti efficiente, sed occasionali solum caussa moveretur: Corporisque motus non ab Animo, sed à Deo producerentur. Accedit etiam quod ubi incorporea quædam affectio, aut voluntatis actus in Animo excitatus fuerit, corporeus motus illi consonus aliquando facilius, difficilius aliquando in Corpore excitari conspicitur: quod optime profecto intelligi, & explicari poterit, si motus ille ab Animo veluti efficiente caussa repetatur, quæ modo vividius, modo languidius in Corpore operari, ejusque resistentiam modo celerius, modo lentius superare possit: vix autem concipi, vel explicari poterit, si motus ille à Deo veluti effectrice caussa produci dicatur, qui ea lege, pacto, seu fœdere Corpus Animumque conjunxerit, ut ipse solum divina vi sua motum illum in Corpore produceret, quem Animus in Corpore produci cuperet. Ergo lex illa, fœdus, aut pactum, quod à Cartesianis effingitur, admitti non potest; atque ubi fœderis, & pacti leges violari videntur, tunc efficiens actuum illorum caussa non Deus, sed humanus Animus esse deberet; aut certe Cartesianis ipsis explicandum foret cur Deus incorporei cujusdam motus occasione aliquando quidem similem, aliquando vero dissimilem corporeum actum in

cor-

corpore excitaret, quod ab iis intelligi, vel explicari certe non poterit.

IX. Hæc, aliaque id genus incommoda, & absurda plurima, quæ in Cartesii, aliorumque hypothesi reperiuntur, superiori seculo, nostraque fere ætate Leibnitium impulere, ut hypothesim aliam proponeret, quæ tum elegantia sua, tum Auctoris nomine plerosque abripuit ut illam amplecti, novisque rationibus asserere niterentur. (a) Itaque Leibnitius observavit quod humanus Animus, quamvis arbitrii vi, ac libertate præditus existimetur, in singulis tamen actibus eliciendis semper aliqua *sufficienti ratione* percelli, moveri, determinari debet ad operandum, ut nimirum hunc potius, quam actum alium eligat, ad hoc potius, quam objectum aliud inclinet; adeoque, si plures distincti quidam actus, plura, ac diversa quædam objecta proponantur, semper & actum illum, & objectum eliget, in quo majorem quandam rationem, ac motivum reperit, ut circumstantiis omnibus rite exploratis alteri objecto præferri mereatur, alioque postposito, vel omisso eligatur. Quandoquidem ergo Deus ab æterno humanos quosdam Animos creare decrevit, quibus incorporeas rerum ideas, intelligendi vim, voluntatem, eamque facultatem concederet, qua pro varia rationis sufficientis indole varios actus efficere, variisque modis se inflectere, ac determinare possent, Deus ipse ab æterno circumstantias omnes, ideas, & objecta, quæ singulis Animis proponi poterant, nitide cognovit, adeoque singulas ejus-

(a) Vid. Psychol. ration. Sect. 3.

ejusmodi *rationes sufficientes* in Animo futuras prævidit, quæ nimirum in circumstantiis illis liberam, ac indifferentem Animi vim ad actum aliquem inflectere, ac determinare debebant; ideoque nitida certaque cognitione, prævidit actuum illorum seriem, quam quilibet humanus Animus erat facturus. Altera vero ex parte observavit Leibnitius quod in humano Corpore plurimi, ac infiniti fere motus, & actus ex admirabili ipsius textura, partium ordine, situ, simulque externorum corporum motu, & compage oriuntur; ut proinde pro vario partium ordine, figura, situ, ac varietate, quæ in certo quodam humano Corpore reperitur, certoque modo ab externis corporibus percellitur, varii quoque distinctique motus in illo produci debeant, ideoque in quolibet humano Corpore, cui certa quædam cum corporibus aliis connexio, & certa quædam, ac distincta partium textura concessa fuerit, certa quædam ac distincta motuum series erat futura, & quemadmodum certa, ac peculiaris illa connexio, vel dispositio infinitis modis à Deo variari poterat, ita quoque infiniti prorsus, distinctique corporeorum motuum ordines ex infinitis illis texturarum possibilium ordinibus admitti debent. Itaque Deus infinitos omnes cogitationum ordines cognovit, qui in infinitis humanis Animis dependenter ab infinitis rationum sufficientium complexibus, ac ordinibus erant futuri, simulque infinitos motuum ordines, qui in infinitis humanis corporibus dependenter ab infinitis texturarum ordinibus essent futuri. Ubi vero certum quendam Animum, in quo nimirum certa quædam, ac distincta cogitationum series esset futura, cum humano Corpore conjungere voluit, ex infinitis humanis Corporibus illud unum elegit, quod ex in-

dole,

dole, texturaque sua eam motuum seriem foret habiturum, quæ primæ seriei similis, consona, & accurate conveniens foret; ac utramque simul Animi Corporisque substantiam ita conjunxit, ut ex iis mirum quoddam compositi genus resultaret, quod *hominem* appellamus. Ejusmodi fœdere, ac unione sic constituta humanum Corpus independenter ab Animo motus suos, suorumque actuum seriem producit, perinde quasi nulli Animo conjunctum esset, sicuti vicissim Animus independenter à Corpore motus suos, suarumque cogitationum seriem exerit, perinde quasi nulli Corpori conjunctus esset; sed tamen duo ordines illi, vel motus, qui simul eodemque tempore tum in Animo, tum in Corpore peraguntur, inter se similes, sibique consoni sunt: non quod Animus in Corpus, aut Corpus in Animum influere, agere, motusque suos imprimere, ac transferre possit; verum potius quod Deus ex infinitis tum corporeorum, tum incorporeorum motuum ordinibus duos illos selegit, unaque simul conjunxit, quos sibi consonos futuros esse jam noverat. Ita, si in Animo movendi brachii cupiditas excitetur, brachium movetur; non quod ejusmodi Animi cupiditas in brachium propagetur, Animusque imperio suo Corpus afficere, brachium impellere, ac movere possit; sed solum quia ex Corporis textura erat futurum ut eodem illo temporis momento, quo peculiaris ille voluntatis actus, movendique brachii cupiditas in Animo oriebatur, peculiaris alter Corporis actus, aut brachii motus in Corpore produceretur; & quemadmodum prorsus, si humanus Artifex duas machinas eo consilio, eaque lege construxisset, ut interim dum motus aliquis in ipsarum una peragitur, similis omnino motus in altera producatur,

catur, utriusque machinæ motus accuratissime conspirarent, quamvis ipsarum neutra in alteram influeret; ita quoque hæc mira proportio, connexio, harmonia inter Animi Corporisque motus reperitur, quia divinus Artifex infinita vi, scientiaque sua duos motuum ordines ab Animo, & Corpore veluti distinctis sejunctisque machinis peragendos ita selegit, unaque conjunxit, ut ipsorum uterque simul conspiret. Hinc Leibnitius hypothesim hanc suam, sive mutui commercii caussam, quod inter Animi, Corporisque motus reperitur, *Harmoniam præstabilitam*, sive *prædestinatam* vocavit; quod illa nimirum, non temere, ac fortuito contingat, aut à Corpore vel Animo veluti caussa oriatur; sed quod jampridem ab ipso Deo definita, sancita, ac invariabili tenore decreta fuerit.

X. Quacumque tamen elegantia, verborum lepore, quibuscumque exemplis hæc Leibnitii hypothesis exponatur, fieri certè non poterit quin ipsius levitas, ac falsitas facile intelligi, ostendique possit. Ac primo quidem celeberrimum illud *Rationis sufficientis* principium, quo Leibnitius, ac Volfius in omnibus fere naturæ effectibus, in ipsis etiam Dei operibus explicandis uti solent, in *necessariis* quidem caussis admittendum esse jam vidimus (*a*), sed in liberis tamen caussis, hoc est in ipso Deo, ac humanis Animis admitti non posse demonstravimus; cum *ratio sufficiens*, qua divina, ac humana voluntas ad hoc potius, quam ad objectum aliud determinatur, ad hunc potius, quam actum alium inflectitur, non ab extrinseca objecti boni-

(*a*) Capit 9.

bonitate, ac amabilitate, sed ab intrinseca potius voluntatis vi, liberoque voluntatis arbitrio pendere debeat, quæ quamvis etiam in partibus objectis sibi propositis aut parem, aut inæqualem intrinsecæ bonitatis rationem perspiciat, quodcumque tamen libuerit ex illis amplecti potest. Ergo perennis illa, constans, ac invariabilis actuum series, quam Leibnitius dependenter à solis Animi viribus, ac rationum sufficientium serie in Animo futuram fuisse, adeoque perspicue à Deo prævideri potuisse supponit, tanquam liberior, ac absurda refelli debet, quippe quæ libertatis arbitrio, ac voluntatis imperio repugnet. Ita quoque temere prorsus, ac immerito constans quædam, perennis, ac invariabilis motuum series dependenter à sola partium textura externorumque corporum ordine, & actione in humano Corpore futura supponitur; cum experimento ipso compertum sit Corporis nostri motus ab extrinsecis etiam, subitisque caussis mirifice variari: ut proinde motuum nostrorum series non ex intrinseco quodam, tranquillo, constantique principio, sed ex innumeris prorsus, fortuitis, violentisque caussis oriatur. Accedit etiam quod experimento ipso perspicue apparet Animum aliquando motibus, & affectionibus illis obsequi, & assentiri, quæ excitantur in Corpore; sed aliquando tamen iis resistere, ac dissentiri: ut nulla proinde constans, ac invariabilis similium motuum series, vel *harmonia* effingi possit, qua dum motus quidam in Corpore excitatur, similis alter, & consonus in Animo producatur. Quid vero quod in humanis Animis, ipsorumque motibus mira celeritas, varietas, volubilitas, observatur, ut Animus ipse, ab unius objecti cognitione, & amore ad objectum aliud repente convolare soleat? Qua

vero

vero ratione concipi, vel explicari poterit quod ex æquabili corporis textura, cum præsertim tranquilla sit, nullisque externis objectis percellatur, eadem illa celeritas, motuumque dissidentium varietas haberi debeat, nisi corporei motus ab incorporeis Animi motibus excitari, ac pendere dicantur? Quis à sola corporis textura varios motus illos repetendos esse putaverit, quibus Orator innumeras voces sola ratione duce, liberoque voluntatis arbitrio dispositas proferre possit, nisi voluntas ipsa, quæ has potius, quam ideas alias selegit, his potius quam vocibus aliis uti velit, ideoque hac potius quam alia ratione vocis organa impellat?

Denique, ne argumentis aliis immorer, perfecta libertatis idea requirit, ut humanus Animus suorum actuum dominus, auctor, & caussa esse debeat; non alia de caussa illos exerat, nisi quod illos exerere velit; eoque imperio, ac libertate corporis etiam motus sequi aut iis resistere, eos efficere, aut ab iis abstinere possit: perinde quasi motus illorum caussa, & origo non in ipso Corpore, ejusque textura, sed in Animo reperiatur. Ergo nisi physicus ille Animi in Corpus influxus admittatur, vera libertas intelligi, vel explicari non poterit; quemadmodum sane plurimi, qui Leibnitii hypothesim admisere, veram perfectamque libertatem ex homine sustulerunt; ac Leibnitius ipse, cum absurda plurima probe intelligeret, quæ ex ipsius hypothesi necessario manabant, ingenue sancteque testatus est se hypothesim illam non serio graviterque, sed joco solum, & ludicra quadam arte proposuisse (a) quamvis

(a) V. d. Minigl. pag. 131. adv. Fatal.

vis deinde à plurimis rei novitate, Auctoris fama, Systematis elegantia fere perculsis veluti seria, pulcherrima, atque omnium optima defendatur.

XI. Quod si rationes omnes, hypotheses, & argumenta, quæ tum à veteribus, tum à recentioribus etiam Philosophis inventa sunt, ut miram hanc Corporis, atque Animi concordiam exponerent, obscura, incerta, vel falsa sunt, quid tandem supererit, nisi ut concordiam illam, arcanique fœderis, & commercii leges adhuc nobis incompertas esse fateamur; atque ejusmodi concordiæ genus, quod ab infinita Dei potentia, arte, ac sapientia pendere debet, perspicue ab intellectu nostro comprehendi, vel explicari non posse dicamus; adeoque hac etiam in parte sola certitudine contenti simus, non vero evidentiam, aut perspicuitatem temere frustraque inquiramus, quæ fortasse tenues ingenii vires semper eludat, adeoque facile optari, sed inveniri certe non possit? Itaque primum perspicuis rationibus, intimoque sensu nobis conscii certique sumus quod Animus noster, quamvis incorporeus, ac inextensus sit, in nostro Corpore reperitur, Corporisque nostri motus efficit, temperat, ac moderatur: ut quemadmodum nempe Deus, quamvis incorporeus sit, corpora tamen cognoscere, creare, movere potest, ita quoque creatis etiam Spiritibus, Animisque nostris, quos regendo Corpori destinavit, hanc vim concesserit, ut in Corpus sibi conjunctum agere physicè, vereque influere, ipsumque movere possent. Deinde vero intimo sensu, ac experimento ipso nobis conscii, certique sumus, quod corporei motus certa quadam, occultaque ratione ad Animi substantiam propagantur; licet adhuc obscurum, incertumque sit an ejusmodi corporei motus *efficiens*,

ciens, aut *occasionalis* solum caussa illorum motuum censendi sint, qui simul eodemque tempore in Animo peraguntur.

XII. Quandoquidem ergo hæc duo perspicue vivideque percipimus, eamque Corporis Animique connexionem incolumi voluntatis arbitrio, potestate, ac imperio à Deo constitutam esse sentimus, hujus intimæ cognitionis ac persuasionis præsidio singulos Corporis, atque Animi motus ita temperare, ac moderari debemus, ut ad honestatem dirigantur; ideoque tum ex corporeis, tum ex incorporeis objectis, quæ aut Animum, aut Corpus perculerint, ea solum seligamus, liberoque voluntatis arbitrio amplectamur, quæ humanis, divinisque legibus conveniant. Quamvis enim ejusmodi corporei motus, sensationes, ac interdum etiam Animi cogitationes in nobis vel invitis excitentur, semper tamen Animi imperio subesse illæ debent; non modo quod Animus ipse Corporis organa, ac sensuum instrumenta liberè inflectere, mutare, ac impedire possit; verum etiam quod fortiorem atque oppositam cogitationem aliam excitare in se potest, qua prior illa honestati contraria retundatur, atque ex Animo repellatur. Sed hæc, aliaque id genus plura fusius, & opportunius in Ethica proponi debent, ubi de temperandis Affectibus, moribusque ritè componendis disputatur.

ME-

METAPHYSICÆ

PARS TERTIA,

SIVE

THEOLOGIA NATURALIS.



Postrema, ceterisque longe nobilior, ac sublimior Metaphysicæ Pars Deum ipsum velut objectum considerat; ideoque *Theologia naturalis* inscribi illa solet, quod Deum veluti Naturæ auctorem, primamque rerum omnium Caussam, ac Universi Opificem non divinæ Fidei lumine, aut divinæ revelationis præsidio, sed solis naturæ viribus, solo nimirum rationis lumine, contemplatur; adeoque perfectiones omnes, atque attributa demonstrat, quæ ex ipsius essentia perspicua quadam serie deduci, aut ex creatarum rerum cognitione facile inferri possunt. Itaque in hac præstantissima Metaphysicæ Parte initio quidem de ipsa Dei existentia differetur: ut illa adversus veteres, ac recentiores etiam *Atheos* perspicuis, certisque rationibus demonstretur; deinde vero ipsius essentia, ac natura, perspicuus nimirum character ostendetur, quo Deus ipse à ceteris entibus omnibus accuratissime distinguatur; denique singula ipsius attributa, vel perfectiones omnes clariori quo poterit ordine demonstrabuntur: ut exinde facile ad uberiorem illam divinarum rerum cognitionem aditus aperiatur, quæ in *Theologia*, Sacraque Doctrina divinæ Fidei, naturæ-

que luminibus una conjunctis acquiri debet. *

CAPUT I.

De existentia Dei.

I. UT celeberrima hæc quæstio de primæ Caussæ, primi Motoris, supremi nimirum Numinis, ac Dei existentia, qua certe nulla gravior, ac præstantior à Philosophis institui potest, accuratius proponi, dirimique possit, illud in ipso veluti limine observari, vel constitui nunc debet, quod *Dei* nomine nihil aliud intelligi, vel designari solet, quam *Ens illud, quod à seipso, necessario, natura, essentiaque sua, independenter ab alio existit, ut ab illo res omnes, quæ existunt, libere, consultoque productæ sint, & conserventur*. * Atque in ejusmodi quidem idea, vel nomine explicando nulla propemodum controversia, vel opinionum varietas esse potest, cum illo tum Veteres, tum Recentiores etiam ita conspirent, ut non ii solum, qui Deum existere constanter asserunt, sed illi quoque, qui Deum aperte negant, nihil aliud hoc ipso *Dei* nomine intelligant, quam Ens illud, quod à seipso necessario existat, à rebus omnibus ita distinguatur, ut illas libere consultoque pro-

---

* *Γυμνάσιον τῆς ψυχῆς ἡ ἀνθρωπίνη σοφία, τέλος δὲ ἡ θεία, exercitatio Animi est hominis cognitio, finis vero Dei contemplatio.* Origen.

* Illum, qui intelligentiæ, sapientiæque se amatorem profitetur, necesse est intelligentis, sapientisque Naturæ primas caussas conquirere. *Cicero de Univers. cap.* 14.

produxerit, conservet, moderetur. Itaque, ut ostendatur *Deum* ipsum existere, nihil aliud requiritur, vel præstari nunc debet, nisi ut perspicuis certisque rationibus demonstretur Ens illud necessarium, ac independens existere, vel admitti oportere.

II. Id verò facile præstari profecto poterit, si rerum omnium indoles, ac natura observetur, quæ in Universo, immensa nimirum existentium Entium compage, reperiuntur. Etenim ipsarum quælibet perspicuo, certoque rationis lumine *contingens* esse concipitur; ita nimirum exiltit, ut etiam non existere potuerit: integra & accurata ipsius essentia concipi perfecte potest quin ipsius existentia concipiatur; ideoque existentia illa, quæ in nitida, & accurata rei ipsius idea, vel essentia non continetur, ipsi intrinseca, necessaria, & essentialis esse non poterit: sed ita potius rerum illarum quælibet existet, ut libere solum, fortuito, vel contingenter existat. Ac certe, si à nobis ipsis exordiamur, intimo sane, vividoque sensu percipimus quod nostrum quilibet ita nunc existit, ut antea non extiterit, ac desinere aliquando possit; ideoque non necessario, sed contingenter solum, illud esse, quod habet, ab alio receperit. Illud idem de plurimis rebus aliis, quæ in Universo reperiuntur, deprehendi facile poterit, quæ, cum antea non forent, initium aliquando habuerunt, finemque, ac interitum aliquando sunt habituræ. Quod si fortasse nonnulla, ut *materies*, *sidera*, *Terra* &c. perennia potius, ac immutabilia, quam aliquando producta, ac interitura videantur; attamen hæc ipsa quoque non necessaria, sed contingentia solum deprehendi facile poterunt, si eorum indoles ac natura subtilius exploretur. Siquidem in illis etiam *essentia* ab *exi-*

ſtentia diſtingui concipitur; intrinſecæ nimirum perfectiones illæ, principia, vel attributa, concipi perfecte poſſunt, quibus hæc Entia componuntur, atque à ceteris entibus omnibus accuratiſſime diſtinguuntur, quin ejuſmodi res exiſtere atque eſſentiam cum exiſtenita arctiſſimo, ac neceſſario nexu conjunctam habere deprehendantur. Accedit etjam, quod ſi res illæ, vel quodlibet ens aliud in Mundo exiſteret, quod non contingens, ſed neceſſarium eſſe deberet, ipſius privatio, ſive deſtructio *metaphyſice impoſſibilis*, intrinſece repugnans, & contradictoria cenſeri, nitideque deprehendi deberet. Itaque, cum nulli prorſus ex innumeris Entibus illis, quæ in Univerſo reperiuntur, ejuſmodi privatio, interitus, ac deſtructio intrinſece repugnant, impoſſibilis, & contradictoria effingi poſſit, perſpicue certoque deduci debet quod Entia ſingula, quæ in Univerſo continentur, intrinſece, natura, ſubſtantiaque ſua contingentia cenſeri debent.

III. Quæcumque vero de ſingulis Entium generibus, ipſorumque ſubſtantia jam diximus, de variis etiam ipſorum affectionibus oſtendi facile poſſunt: quod nimirum, ſicuti quodlibet ens, quod in rerum natura reperitur, in ſubſtantia, & exiſtentia ſua ita contingens eſt, ut etiam non exiſtere potuerit, ita quoque peculiares affectiones illæ, quæ in ipſo reperiuntur, contingenter ſolum ipſi conveniant, ut etiam ab illo ſeparari vel abeſſe potuerint. Ita *figura*, *magnitudo*, *ſitus*, aliæque plurimæ affectiones, quæ in corporibus obſervantur, ita corporibus ipſis conveniunt, ut corpus, quod peculiari quadam, diſtinctaque figura, magnitudine &c. præditum ſit, aliam prorſus figuram, ac magnitudinem, incolumi ipſius natura, &

eſſen-

essentia, habere possit; & quamvis materies, aut corpus aliquam figuram, situm, aut ordinem habere debeat, nulla tamen peculiaris, ac determinata figura, situs, aut ordo in corpore existere, vel affingi poterit, qui corpori intrinsecus, inseparabilis, & essentialis haberi debeat. Sic motus ipse, vel nisus, aut tendentia ad motum, sive ex mutua partium attractione, sive ex alio qualibet impulsu, caussa, & origine deducatur, ipsi corpori, sive materiæ prorsus intrinsecus, & contingens esse concipitur. Etenim materies essentia, naturaque sua indifferens esse concipitur tum ad motum, tum ad quietem; optimeque materies ipsa percipitur, quamvis adhuc indifferens sit ut ad motum potius, quam ad quietem inclinet, in motu potius quam in quiete posita sit; ideoque, si fortasse motu prædita sit, motus ille veluti materiæ affectio, ipsius essentiæ prorsus extrinsecus, fortuitus, & contingens erit. Ergo, si quidquid in rerum natura reperitur contingens est; si affectiones omnes, quæ in illo observantur, contingenter illi conveniunt; si motus ipse, ex quo veluti fonte rerum varietas, & origo deduci debet, fortuito solum, & contingenter materiæ, sive corporibus inesse potest, manifestissime inferri debet quod præter Entia contingentia contingentibus affectionibus prædita Ens aliud necessarium admitti debet, quod singulis contingentium Entium generibus substantiam, & affectiones omnes concesserit. Et sane, ut opportune jam alibi demonstravimus, quodlibet ens *contingens* illud esse, quod habet, ab alio recepisse debuit; alioquin Ens ipsum aut à nihilo productum foret, quod est impossibile; aut sibi ipsi dedisset esse, quod itidem absurdum ac impossibile censeri debet, cum Ens illud an-

tequam foret; purum nihil esse debuerit. Ergo quidquid ita est, ut etiam non esse potuerit, hoc est quodlibet Ens contingens ab alio Ente produci debet. Sed hoc ipsum Ens, quod ens aliud produxit, nisi *necessarium*, ac independens dicatur, ipsum quoque ab altero productum erit; ergo vel Ens aliquod independens, ac necessarium inveniri postremo debet, quod à nullo productum fuerit, & entia quælibet contingentia produxerit, vel certe infinita Entium contingentium series admitti, quorum unum ab alio productum fuerit, ac series illa non contingens, sed necessaria dicatur.

IV. Ac certe quidem Veteres, ac Recentiores illi, qui Deum existere vel obscurius, vel apertius negarunt, ut superioris argumenti robur eliderent, eo demum confugere, ut quodlibet ens contingens ab alio quodam ente producendum esse concederent; sed ita tamen ut nunquam ad Ens aliquod necessarium, primamque Caussam perveniendum esse putaverint, quæ ab altero producta non foret; cum in quolibet Entium contingentium genere infinitam ipsorum seriem admitti posse censerent, in qua nullum prorsus veluti primum, effingi, vel designari posset. Ita perspicue fatentur hominem, animal, plantam quamlibet ab alia planta, animali, atque homine produci debuisse; sed tamen asserunt infinitam hominum seriem admitti posse, quorum quilibet ab alio suum esse receperit; neque tamen ipsorum ullus veluti primus ab Ente necessario productus fuerit. Itaque existimant Universum, ac rerum omnium compagem, & singula Entium genera ab æterno fuisse: & hanc ipsam infinitam infinitorum entium seriem non contingenter, sed necessario extitisse; adeoque nullum Ens aliud necessarium extra hanc se-

riem

riem admittendum esse contendunt; quod infinitam illam entium contingentium seriem, aut ipsorum primum produxerit.

V. Ut effugium istud, quod unicum plane superesse potuit, Atheis præcludatur, Philosophi plurimi constanter asserunt quod infinita, ac æterna rerum series, infinitus entium numerus ac multitudo, sive, ut Scholastici loquuntur, progressio, aut *processus in infinitum* repugnat, intrinsece contradictorius, ac impossibilis haberi debet. Certe Aristoteles variis in locis (*a*) repugnantiam illam fuse accurateque demonstrare nititur: atque, ut innumeros Philosophos alios omittam, Volfius (*b*) ipse plurima argumenta subtiliter, ac ingeniose congessit, quibus hæc infiniti repugnantia, vel contradictio ostendi possit, ut opportune jam alibi est observatum, ubi de Entis *finiti*, ac *infiniti* discrimine agebatur. Ergo, si progressus ille in infinitum repugnat, ac perspicuæ certæque cognitioni nostræ adversatur, hæc infinita rerum contingentium series effingi sane non poterit; ideoque finita solum contingentium rerum multitudo admitti poterit, quæ sicuti in se nunc existente desinit, ita quoque ab alia veluti prima incœperit; illa vero non ab alia se contingenti, quæ prorsus excluditur, sed ab Ente non contingenti, adeoque necessario producta fuit. Ita quoque à plurimis, ac ipso quoque Lucretio (*c*) Epicuri sectatore observatum quod Mundus, ac universa rerum compages, quæ in illo conspicitur, non ab æterno semper extitisse, sed

(*a*) *Phys. Lib. 3. cap. 7.*
(*b*) *Ont Part. 2. Sect. 2. cap. 3.*
(*c*) *Lucr. Lib. 5. ver. 325*

sed aliquando potius incæpisse debuit, ut ex variis indiciis inferri facile poterit, quæ fuse & opportune in Physica proponuntur. Ergo, si rerum motus, ipsarum productio, adeoque entium contingentium series aliquando incæpit, in quolibet Entium contingentium genere ipsorum primum admitti debet, quod cum omnino contingens foret, ab altero non contingente produci debuit; quemadmodum motus ille, situs, ac dispositio, quæ informi, inertique materiæ tum impressa concipitur, ut inde rerum varietas oriri posset, ipsi materiæ contingens, adeoque non à materia, vel ab alio corpore, quod æqualiter indole naturaque sua vel iners, vel ad motum aut quietem indifferens esse debuit, sed ab incorporeo quodam Ente, vel spiritu produci debuit.

VI. Quandoquidem tamen pluribus acutisque Philosophis aliis, ac Mathematicis placuit quod infinita quoque entium series possibilis sit, atque in infinita rerum multitudine ac numero nulla prorsus repugnantia, vel contradictio perspicue deprehendatur, adeoque adhuc obscurum, & incertum videri fortasse posset an infinita entium contingentium series possibilis, vel impossibilis censenda sit, ideoque Atheorum responsio possibili, vel impossibili principio innitatur, ne Dei existentia ab incerto, lubrico, vel inexplorato principio deducatur, Atheorum effugium alia clariori, certiorique ratione præcludi, sive refelli debet. Itaque dicimus quod, quamvis etiam Mundus ab æterno extitisse dicatur, quamvis etiam infinitæ rerum contingentium series admittantur, quamvis etiam infinita infinitorum generum multitudo concipiatur, semper tamen extra infinitos illos rerum contingentium ordines Ens aliquod admitti debet, quod infinitos ipsos

re-

rerum ordines produxerit, adeoque prima ordinum illorum, ac entium omnium Causa extra infinitam hanc contingentium entium seriem collocata censenda sit. Etenim hæc ipsa quoque infinita entium contingentium series neque à nihilo neque à seipsa produci potuit, sed potius suum esse ab alio Ente recepisse debuit, quod contingens esse non poterat, alioquin ipsum quoque in infinita illa entium omnium contingentium serie contineretur, adeoque necessarium esse debebat. Accedit etiam quod rerum numerus, ac multiplicatio quæcumque illa fuerit, ejusmodi quidem rerum multitudinem, aut molem augere profecto potest; sed intimam tamen indolem, ac essentiam variare non poterit; ideoque quidquid ipsarum singulis intrinsece, & essentialiter repugnat, ipsarum quoque aggregato vel multitudini, quamvis infinitæ, intrinsece repugnabit; sicuti vicissim quidquid ipsarum singulis intrinsece, ac necessario convenit, ipsarum quoque multitudini, vel aggregato, quamvis infinitum hoc foret, intrinsece, ac necessario conveniet. Quemadmodum ergo cuilibet enti contingenti repugnat ut à se ipso, vel à nihilo producatur, ipsique vicissim intrinsece convenit ut ab alio suum esse recipiat, ita quoque contingentium entium multitudini, quamvis infinita illa foret, intrinsece repugnabit ut à se ipsa, vel necessario existat; intrinsece vero conveniet ut ab altero producta fuerit. Ergo sive finita, sive etiam infinita contingentium rerum series admittatur, semper tamen Ens aliquod necessarium admittendum erit, quod seriem illam produxerit, adeoque contingens non sit; sed intrinsece essentiaque sua, independenter ab alio existat; cumque Entis hujus independentis, ac necessarii nomine *Deus* intelligatur, Dei existentia veluti

perspicue certoque demonstrata admitti debebit. Hæc ipsa quoque primæ Caussæ, vel necessarii cujusdam Entis existentia ex humanis Animis, vel Mentis humanæ naturæ perspicue, certoque deduci poterit, si tamen illa partium ac materiæ expers, adeoque spiritalis, & incorporea supponatur, quod opportune jam alibi demonstravimus. Etenim, si Mentis humanæ substantia prorsus incorporea concedatur, neque ex materia, neque ex ulla corporis affectione, motu nimirum, figura, situ, vel ordine pendere, ac oriri illa poterit, sed è nihilo solum repente educi. Ergo, cum ipsa quoque aliquando incæperit, ac illud esse, quod habet, neque à corpore, neque ab alia Mente, neque ab ullo finito Spiritu finitis proinde agendi viribus prædito recepisse potuerit, perspicue apparet quod ab alio Spiritu, sive Caussa produci debuit, quæ infinita agendi vi polleat, adeoque mentem ipsam è nihilo educere repente potuerit. Quod si præpotens, liberum, incorporeum Ens illud admitti debet, quod incorporeas substantias illas è nihilo produxerit, quis aperte non videat quod illud idem Ens corporeas etiam substantias è nihilo produxisse poterat; & sicuti Ens illud, quod incorporeas substantias produxit, independens, ac necessarium esse, censerique debet, ita quoque necessarium aliquod Ens admitti debet, quod corporeas omnes, & contingentes res, illarumque seriem produxerit? Quod si fortasse quis dixerit ac temere prorsus effingat humanos Animos ab æterno extitisse, ac ipsorum singulos non ab alio productos, sed indole naturaque sua existentes fuisse, ipsa certe connexio, certumque fœdus, quo Animorum quilibet humano cuidam corpori recens formato conjungitur, argumento esse poterit connexio-

nem-

riem illam non ab Animi natura, quæ prorsus indifferens erat ut à corpore sejuncta perseveraret, aut corpori conjungeretur, neque à corporis natura, quod fortuito solum & contingenter Animo conjungitur, sed ab alio prorsus principio, Caussa vel Ente repetendam esse, quod tum Animo, tum Corpori dominetur, utroque nobilius sit, utrumque disponere, movere, certisque legibus vincire possit: quod incorporeo solum, libero, omnipotenti, adeoque increato, ac necessario Enti, primæque Caussæ conveniet.

VII. Atque ejusmodi ratio ab Ethnicis quoque Philosophis usurpata, ut primi Motoris, primæ Caussæ, supremi Numinis, Deique existentia demonstretur, *metaphysica* vocari solet, quod ex ipsa *contingentis*, ac *necessarii* Entis indole, natura, ac discrimine deducatur, quod in Metaphysicis ostendi solet. Proximum vero argumentum aliud *physicum* vocatur, quod ex solo naturalium rerum ordine, pulchritudine, ac varietate deducatur. Itaque tum veteres, tum recentiores etiam Athei, qui Deum negarunt, nihilque prorsus in rerum natura admittendum esse opinabantur, nisi infinitam, æternamque rerum contingentium seriem, illud etiam asserere cogebantur; quod universa rerum compages, singulæ Universi partes, & effectus omnes, qui in illo reperiuntur, temere solum, ac fortuito à materia æterna, æternisque ipsius motibus, & affectionibus producti sunt; nullaque certa ratione, nulla cognitione prævia, nulloque consilio hoc potius quam alio modo formati, dispositi, conjunctique fuerint. At fieri profecto non potest ut pulcherrimus ordo, infinita partium varietas, admirabilis connexio, quæ in Universo conspicitur, præsertim vero mira partium textura, ac dispositio, quæ

in singulis animalium corporibus observatur, à fortuito solum, ac temerario materiæ motu producta fuerit ; cum partium illarum quælibet ad certum finem aliquem manifestissime referatur, eandemque prorsus indolem, naturam, figuram, ordinem, ceterasque affectiones omnes sortita sit, quæ huic fini assequendo aptissima, & maxime conveniens erat ; ut, si fortasse alia ratione disposita, vel constituta fuisset, finem illum consequi, vel obtinere non posset. Atque in ejusmodi quidem argumenti genere maximam prorsus vim esse oportere in Physica demonstratur, ubi pulcherrima, sibique mire consentiens Universi, ejusque partium dispositio, corporum etiam inanimatorum, præsertim vero Plantarum, ac Animalium textura ita describitur, ut ex illa infinita Creatoris sapientia manifestissime deduci possit ; cumque maxima ingenii vis, ac solertia in hominibus esse debeat, ut effectus ipsos cognoscant, atque ille ingenio, sapientiaque excellere videatur, qui creatarum rerum pulchritudinem, ordinem, finem, & affectiones cognoscat, insaniæ profecto, ac furori simile censeri debet, si quis hæc omnia sine consilio, ratione, cognitione, sed fortuito solum, ac temerario corporum motu, à fortuitis materiæ affectionibus, à fortuitis solum, & contingentibus caussis produci, ac disponi potuisse putaverit.

VIII. Argumentis istis, quibus existentia Dei partim Metaphysicæ, partim Physicæ Facultatis præsidio perspicue, certoque demonstratur ; gravissimum aliud argumenti genus adjungi nunc poterit, quod ex perenni, constantique Philosophorum omnium auctoritate, ac Gentium consensione deduci solet. Itaque præclare sapienterque Cicero observavit quod *nulla Gens sit tam immanis*,

neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat; (a) unde *firmissimum hoc afferri videtur cur Deos esse credamus quod nulla Gens tam fera, tam omnium sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio*. (b) Quandoquidem ergo, ut idem Cicero jam alibi dixerat, *omni in re consensio omnium Gentium lex naturæ putanda est* (c), supremi Numinis, primæ Caussæ, denique cognitio Animis ipsis à natura impressa, ac veluti ingenita censeri debet; ut proinde de ipsius existentia ambigere, vel dubitare non liceat. Ac, ne quis aut Gentium illarum barbariem, aut ruditatem opponat, Deorumque opinionem aut ex timore, * aut ex potentiorum hominum fraudibus, aut ex naturæ ignoratione profluxisse arbitretur, observari facile poterit quod illustriores omnes Philosophi, ** qui maximo ingenii acumine, ac libertate rerum omnium indolem, ac naturæ effectus, ipsorumque originem subtilius explorarunt, Deum ipsum veluti primam, certamque rerum omnium Caussam admittendum esse dixerunt; ut proinde paucissimi ex Veteribus memorentur, (d) qui Dei existen-

(a) *De Leg. Lib.* 1. *cap.* 8.
(b) *Tusc. lib.* 1. *c.*
(c) *Tusc. lib.* 1. *cap.* 13.
* Primus in orbe Deos fecit timor, ardua Cœlo Fulmina cum caderent.
Petron. Satyric.
** *Epicurus ipse* vidit esse *Deos*, quod in omnium animis eorum notitiam impressisset ipsa natura. Quæ enim est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum, quam πρόληψιν appellat Epicurus? *Cic. de Nat. Deor. Lib.* 1. *cap.* 16.
(d) *Vid. Cic. de Nat. Deor. lib.* 1.

ſtentiam ſuſtulerint, aut in dubium revocaverint. Quod ſi fortaſſe plures noſtra hac ætate, ac ſuperioribus etiam temporibus extitiſſe dicantur, qui Dei cognitionem aut ex ſuis, aut ex aliorum Animis extorquere conati fuerint, vividamque lucem, qua Dei notitia nobis affulget, extinguere; ipſorum certe numerus, atque auctoritas, quæcumque illa ſit, nobis imponere, atque in errorem abripere profecto non poterit; cum ii gravioribus, innumeris, ac illuſtrioribus Philoſophis aliis conferri non mereantur; & argumenta ſingula, quibus inniti, vel abuti illi ſolent, perſpicue certoque refelli poſſint.

VIII. Nihil eſt autem cur in variis ejuſmodi Atheorum argumentis hic ordine recenſendis, ac refellendis immoremur. Ipſorum pleraque ac omnia fere ex eo repetuntur, quod effectus aliqui in Univerſo reperiuntur, qui Dei bonitati, ſanctitati, juſtitiæ, ac providentiæ adverſantur; adeoque neque Dei ſanctitas, neque juſtitia, neque beneficentia, neque providentia admitti poteſt; cumque Deus ipſe, ſi exiſteret, his attributis carere, vel perfectionibus illis destitui non poſſit, ſed ipſarum quælibet cum Dei natura neceſſario quodam, & arctiſſimo nexu conjuncta eſſe debeat, ſi divinæ perfectiones illæ exiſtere, vel admitti non poſſunt, ne ipſa quidem Dei ſubſtantia exiſtere vel admitti debebit. Quod vero plurima in Univerſo reperiantur, quæ divinis attributis illis repugnent, exinde facile oſtendi poſſe arbitrantur Athei quod plurima in Univerſo nobis occurrant, quæ inutilia, noxia, & mala ſint, adeoque divinæ beneficentiæ adverſantur; plurima temere ſolum, ac fortuito producantur, quæ proinde cum divina providentia componi non poſſint; ſceleſtis homi-

hominibus aliquando fælicitas, justis vicissim, honestisque hominibus infortunia, ac infelicitas aliquando contingat, quod tamen à divina justitia perspicue abhorreret. Ergo, si divinæ perfectiones illæ admitti non possunt, vel Deus attributis illis destitutus effingi deberet, quod ipsius ideæ ac naturæ repugnat, vel nullus omnino Deus admittendus erit; adeoque singula ex fortuito solum, & contingenti materiæ motu, vel infinita contingentium Entium serie repetendæ erunt. Sed hæc, aliaque id genus opportunius in extremo Capite mox dirimentur, ubi de *moralibus* Dei attributis, justitia nimirum, bonitate, ac providentia agendum erit. Interim vero observari facile poterit quod, quamvis etiam argumentis ipsis, quæ ab Atheis afferuntur, vis aliqua inesse posset, atque ubi cum superioribus argumentis aliis conferantur, quibus Dei existentia demonstrata fuit, humanum Animum in oppositam partem inflectere fortasse possent, adeoque ambiguum adhuc, & obscurum efficere an Dei existentia admittenda potius, quam neganda foret; unius tamen humanæ prudentiæ legibus ingenuus quisque impelli deberet ut Deum existere potius, quam non existere fateretur. Etenim quicumque Deum ipsum sustulerit, aperteque negaverit, timores quidem, anxietatem, religionem, pœnarumque metum excutiet, quemadmodum Epicurus (a)

inexorabile Fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis,

quod unum sane Atheis cordi fuerat, * ipsosque

(a) *Virg. Georg. II. vers. 290. Vid. Lucr. lib. 1. ver. 9.*
* Τέλος τῦ μὴ νομίζειν Θεὺς, μὴ φοβεῖσθαι: *Finis non credendi Deos esse, est metu vacare.* Plutarch. de Superst. pag. 165.

que ad impietatem impulerat; levissimum nempe fructum, aut commodum consequetur, ut liberius ac impune illud idem operari fortasse possit, quod ab honestate, humanisque etiam legibus vetitum sit; at si fortasse in neganda Dei existentia aberraverit, Deusque existat, æterno supplicio, infinitæque jacturæ se exponet. Quicumque vero Deum existere crediderit, ejusque persuasionis lumine, ac præsidio operetur, levissimi quidem commodi, ac libertatis expers erit; at si Deus existat, ideoque veram ille sententiam elegerit, infinitum præmium ab illo fidelibus justisque promissum consequetur. Quandoquidem ergo prudentis esse debet ex duobus objectis sibi propositis illud unum eligere, in quo minoris mali timor, majorisque boni spes affulgeat; illud vero respuere, in quo gravioris mali timor, levioris que boni spes obversetur, quis aperte non videat quod ipsis etiam humanæ prudentiæ legibus impellimur ut Dei existentiam admittamus, ejusque opinionis ac persuasionis præsidio ipsum colere, revereri, venerari, leges ab illo constitutas servare velimus, quidquid ab illo traditum fuerit alacriter credere, quidquid ab illo promissum sit constanter sperare conemur, ut pœnas ab illo infligendas vitare, simulque præmium ab illo propositum obtinere possimus? Quamvis autem ejusmodi Dei cultus, timor, ac religio, quæ ex hac ipsa humanæ prudentiæ lege, morali solum, vel extrinseco fere principio penderet, vera religio, verus amor, verusque Dei cultus esse non posset, cum religio vera omne prorsus dubium excludere, atque in Deum perspicue certoque cognitum dirigi debeat; plurimum tamen ad Deum ipsum ingenue mox inquirendum, tandemque perspicue certoque cogno-

scen-

scendum disponeret; quemadmodum prorsus ad veram religionem agnoscendam facilius inflectitur quicumque prius aliarum falsitatem rite perspexerit. Vicissim vero maxima Atheorum temeritas, impudentia, ac infelicitas ex ejusmodi argumenti genere deduci poterit, qui reluctantibus etiam humanæ quoque prudentiæ legibus sententiam illam elegerunt, quæ graviori periculo obnoxia esse debet, omnemque fere facem extinxerunt, quæ ipsos ad Dei cognitionem deducere potuisset.

CAPUT II.

De essentia, vel constitutivo Dei.

I. SApientes illi, qui puriori, clariorique rationis lumine de rebus divinis disputarunt, quamvis Dei existentiam perspicuis adeo, certisque rationibus ostendi posse putaverint, ut ipsius cognitio mentibus nostris ingenita videatur, atque humanis Animis vel invitis etiam affulgeat; ipsius tamen ideam, naturam, atque essentiam perfectam adeo, mentibusque nostris imperviam existimarunt, ut illa tenues humanæ cognitionis vires excedat, ideoque ab intellectu nostro perspicue explorari, vel comprehendi certe non possit. * Hinc optime dicebat Cicero (*a*) quod quanto diutius hæc infinita Dei natura exploratur, ac subtilius inquiritur, tanto illa obscurior & sublimior appa-

ret:

* Lucem inhabitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest. *Epist. 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 16.*

(*a*) *De Nat. Deor. Lib. 1. cap. 22.*

ret: quod nimirum, ut facile mox ostendetur, perfectiones illæ, vel attributa, quæ in Deo reperiuntur, infinita sint, adeoque à tenui, finitoque rationis lumine comprehendi non possint. * Quamvis tamen intima, & accurata divinæ naturæ cognitio hic ab hominibus sperari, vel obtineri certe non possit, ex innumeris tamen perfectionibus illis, quæ in Deo reperiuntur, eam facile inquirere vel demonstrare nunc possumus, quæ aliarum omnium veluti fons, & origo videatur; & cujus ope Deus ipse veluti perspicuo certoque discrimine, & charactere à rebus omnibus distinguatur. Itaque brevissime de ejusmodi charactere, vel principio agendum erit, ut intima Dei ipsius natura ac essentia, quantum mortalibus liceat, accuratius exponatur.

II. Ac initio quidem illorum opinio exponenda nobis occurrit, qui characterem illum, quo Deus à ceteris rebus omnibus perspicue, & accuratissime distinguatur, adeoque ipsius essentiam, & constitutivum in hoc uno positum esse arbitrantur quod ille infinitum perfectionum omnium cumulum complectatur; ideoque, cum quodlibet aliud Ens, quod ab intellectu nostro concipitur, finitum sit, & perfectiones omnes, quæ in illo reperiuntur, quibusdam veluti finibus circumscriptæ sint, Deus ipse in quolibet entis, vel perfectionis genere sit infinitus, & hac ipsa infinita infinitarum perfectionum congerie à ceteris entibus omnibus distinguatur. Quæ sane pulcherrima divini Entis idea,

* Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid non sit, quam quid sit. S. Augustin. in Psal. 85. num. 12.

idea, sive descriptio verissima censeri debet; cum infinitus ille possibilium omnium perfectionum cumulus non alteri, quam primæ, supremæque Caussæ, necessario nimirum Enti conveniat, ut proximo Capite demonstrabitur; ceteræ vero res omnes, quamvis plurimas, earumque singulas, infinitas etiam proprietates habere posse censeantur, nunquam tamen à seipsis existere, adeoque *independentiæ*, sive necessitatis perfectionem habere poterunt. Quandoquidem tamen hoc loco ubi perspicuus ille Dei character inquiritur, nondùm variæ, ac infinitæ ipsius perfectiones, atque attributa demonstrata sunt; atque in infinitis illis perfectionibus, quas ipsi inesse mox ostendetur, ordo quidam, aut series ab intellectu nostro concipitur, ut una ab alia oriri, una ab altera deduci, omnesque simul ab aliqua veluti fonte, ac principio manare videantur, à Philosophis, ac Theologis etiam inquiritur quænam ex his perfectionibus veluti aliarum caussa, & origo censeri facile possit, in qua Dei natura, & essentia posita sit, quo denique clariori, certiorique discrimine Deus ipse à qualibet alia re, vel à creatis Entibus distinguatur.

III. Itaque Philosophi plures, cum in Deo duplicem agendi vim, ac potentiam admittendam esse observassent, *intellectum* scilicet, ac *voluntatem*, Dei naturam, primumque veluti ipsius principium, & constitutivum in ipsarum prima, hoc est in intellectu, positum esse dixerunt; cum sane intellectus ipse, vel intellectus cognitio alterius potentiæ, seu voluntatis actus præcedere concipiatur. Ita vero distingui, vel dissidere illi solent, quod alii quidem divinam essentiam in ipsa potius intelligendi potentia collocandam esse arbitrantur; alii vero *in-*

telle-

tellectionem ipsam, aut actum, quo vis illa exeritur, veluti primam divinarum perfectionum originem, divinæque essentiæ principium, & characterem esse putarunt. Verum, cum intelligere, ac velle veluti quidam substantiæ cogitantis actus à nobis concipiantur, & actus illi ab intellectu nostro percipi non possint, nisi prius vis, ac potentia quædam percepta fuerit, à qua actus illi producuntur, simulque illud esse, quod ejusmodi intelligendi, ac volendi viribus præditum sit, adeoque intelligendo, ac volendo operetur, suspicari fortasse quis poterit quod intelligendi vis, aut intelligendi actus, sive ut Scholastici loquuntur, *intelligere radicale*, aut *intelligere actuale* primus divinarum perfectionum omnium fons, & origo, adeoque primum divinæ naturæ principium, ejusque character, & constitutivum haberi non possit; cum præsertim duplex illa intelligendi, ac volendi vis in creatis etiam quibusdam Entibus reperiatur; ideoque semper ambigere quis possit an perfectiones illæ, sive principia, quæ creatis etiam rebus inesse, & aliqua ratione convenire possunt, perspicuus divinæ naturæ character, ideoque accuratum ipsius constitutivum haberi debeat.

IV. Hinc facile, ut opinor, accuratius loquuntur illi, qui perspicuum hunc characterem, quo Deus ipse à ceteris entibus omnibus accuratissime distinguatur, non aliud esse arbitrantur, quam *independentiam*, vel *necessitatem*, qua Deus existit; ut proinde ipsius essentia, & constitutivum in hoc uno positum sit, ut ille sit *Ens Necessarium*, Ens ab alio quolibet independens, Ens denique, quod à se ipso, natura, essentiaque sua existit. Etenim, ut superiori Capite jam demonstravimus, quodlibet Ens, quod in rerum natu-

natura reperitur, fortuito solum, & contingenter existit; ut proinde non alteri, quam soli Deo, perennis, independens, necessaria, & essentialis existentia convenire possit. Ita quoque quodlibet ens, quod in Universo existere, vel concipi potest, semper ab alio produci ac pendere debet; solusque Deus à nullo fieri, sive pendere poterit; atque ubi fortasse Deus etiam ab alio fieri, sive pendere concipiatur, jam ille Deus amplius esse non poterit; perspicua nimirum Dei, vel Entis necessarii idea manifestissime destrueretur. Ergo character ille, sive principium, quod in ipsa Dei idea repente affulget, quod ipsi intrinsece ac necessario conjungitur, ipsumque constituere, atque à ceteris entibus omnibus distinguere concipitur, erit illa *necessitas*, ac *independentia*, quæ in illo manifestissime concipi, vel admitti debet. Accedit etiam quod ceteræ proprietates illæ, perfectiones, atque attributa, quæ in Deo reperiuntur, aliqua ratione creatis etiam quorundam entium generibus inesse, ipsis nimirum à Deo concedi, vel communicari possunt: ut in aliquibus agendi potentia, spiritualitas, immortalitas, sapientia, bonitas &c. reperiri possit; atque in illorum hypothesi, qui in quolibet Entis genere infinitum aliquod à Deo produci posse arbitrantur, perfectiones illæ, quæ singulis, aut certe pluribus creatis Entibus inesse possent, infinitæ forent, adeoque Deus entibus illis attributa sua nobiliori, atque infinita propemodum ratione communicasset. At fieri profecto non poterit ut Ens ullum independenter à Deo existat, adeoque creata res ulla *independentiam* illam à Deo recipere, vel obtinere unquam possit; &, quamvis Deus omnipotens sit; & alteri creatæ rei infinitam quoque, si libeat, perfectionem ali-

quam

quam tribuere fortasse possit, attamen ens aliquod independens, vel necessario existens producere non potest: cum in hac ipsa producti, simulque independentis Entis idea contradictio manifestissima reperiatur. Itaque nullum aliud clarius discrimen afferri unquam poterit, quo Deus ipse à ceteris entibus omnibus distinguatur, nulla clarior divinarum perfectionum origo, nullusque certior divinæ naturæ character afferri jam poterit, quam necessitas, independentia, sive, ut barbare à Scholasticis hæc appellatur, *Aseitas*, quæ ita intrinsece, ac necessario ipsi convenit, ut alteri convenire certe non possit. Hinc in Sacris etiam Litteris (*a*) Deus ipse, ut essentiam, naturamque suam exprimeret, ait: *Ego sum qui sum*, sive ut illustrius in græco textu legitur. *Ego sum Ens*; quod nimirum hoc *Entis* nomen intrinsece, ac necessario, essentiaque sua ipsi Deo conveniat, atque hoc ipso necessario, ac independenti existendi modo à ceteris rebus omnibus accuratissime distingui possit, quibus existentia fortuito solum, ac dependenter ab alio conveniat, adeoque in iis essentia ab existentia distingui debeat, ut superiori Capite jam demonstravimus.

CAPUT III.

De attributis physicis Dei.

I. QUemadmodum ex sola creatarum rerum indole, ac natura superius exposita, ex ipsa nimirum contingenti rerum existentia perspicue certoque inferendum esse jam

(*a*) *Exod. cap. 3. vers. 24.*

jam vidimus Ens aliud existere, quod independens, ac necessarium sit, adeoque ex creatarum rerum cognitione supremi cujusdam Entis, primæque Caussæ existentiam deducendam esse demonstravimus; ita quoque ex eodem illo principio, ex libera nimirum, aut contingenti rerum productione perfectiones illæ, vel attributa cognosci, & ostendi facile poterunt, quæ divinæ naturæ conjuncta esse debent, ipsique Deo necessario conveniunt. Itaque de attributis ipsis hic ordine differemus; ut initio quidem illa exponantur, quæ *physica* vocari solent quod ipsam Dei naturam, substantiam, atque intellectum afficere, sive ad illum referri videantur; proximo deinde loco cetera proponantur, quæ ad Dei voluntatem referri, ipsamque perficere concipiuntur, ideoque *moralia* censeri, vel appellari consueverunt.

II.

Omnipotentia.

Ac primo quidem Dei omnipotentia, infinita nimirum agendi vis, ac potentia nullis omnino terminis circumscripta perspicue deduci, vel ostendi poterit. Etenim, si quidquid in Universo reperitur, *contingens* est, ita nimirum existit, ut etiam non existere potuerit, perspicue apparet quod illud esse, quod habet, à Deo recepit, & antequam existere inciperet, sive à Deo productum foret, erat purum *nihil*; ideoque singula entium genera, quæ nunc existunt, ex solo nihilo à Deo producta sunt, sed, ut ens aliquando ex nihilo producatur, sive ut ex nihilo transferatur ad esse, infinita vis aut potentia requiritur, quæ infinitum illud intervallum superet, quod inter *esse*, & *non esse*,

sive

sive inter *ens*, & *non ens* reperitur, ergo ex qualibet etiam minimi contingentis entis productione infinita Dei vis, aut omnipotentia deduci debet, certe quidem, ut aliquid ex solo nihilo producatur, non modo infinitam, sed infinito quoque majorem vim requiri Veteres omnes existimarunt, qui celebre effatum illud (*a*)

De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti

non modo de creatis omnibus, finitisque caussis; verum etiam de ipso quoque Deo intelligendum putarunt, * quamvis illi infinitam prorsus agendi vim concesserint. Etenim ipsi ne infinitæ quidem Dei potentiæ concedi posse censebant ut ens aliquod è nihilo producere repente posset; ideoque Plato, aliique plurimi *materiam*, aut *Chaos* Deo coævum, atque ab illo independens admisere; nec alia ratione Deum Universi Opificem, auctorem, aut caussam vocarunt, nisi quod ille materiam hanc antea confusam in ordinem digesserit, ipsi prius inerti motum concesserit, atque ex illa veluti subjecto singula rerum genera eduxerit. (*a*) Ergo, si materiæ creatio ipsius quoque infinitæ potentiæ vires excedere videtur, quis aperte non videat quod si revera Deus non modo rerum ordinem, motum, ac perfectiones omnes, sed ipsam quoque illarum materiem, quæ prorsus contingens erat, aliorum entium contingentium

instar,

(*a*) *Persi. Sat.* 3. *Vid. Lucr. Lib.* 1. *v.* 151.

* Nullam rem è nihilo gigni divinitus unquam. *Lucr. Lib.* 1. *ver.* 151.

(*b*) *Vid. Ovid. Metamorph. init.*

instar, produxit, * infinitam omnino vim, ac potentiam habere, adeoque omnipotens censeri ille debet?

Hæc ipsa tamen omnipotentia clarius ex infinito possibilium entium numero demonstratur, quæ à Deo produci possunt. Etenim quidquid *actu* ab ipso Deo aliquando productum fuit, atque nunc temporis fortuito solum, & contingenter existit, ante quam fieret, & à Deo produceretur, erat purum nihil, aut ens *possibile*; sed illa, quæ *possibilia* fuerant, & adhuc possibilia remanent, ea nimirum, in quibus intrinseca repugnantia, vel contradictio nulla reperitur, sunt infinita, cum nullum prorsus ens, aut entis genus ab intellectu nostro concipi vel effingi possit, extra quod ens aliud, aut aliud entis genus possibile concipi, vel assignari non possit; ergo quemadmodum Deus ex infinito entium possibilium numero, in quibus omnino paret æqualis *possibilitas*, sive *non repugnantia* reperiebatur, quædam selegit, ut illa ex nihilo ad esse, vel ex *possibilitate* ad *existentiam* transferret; ita prorsus quodlibet ens aliud, aut quodlibet entis genus, quod æque possibile, vel non repugnans sit, creare poterat, eaque proinde vi sive potentia præditus est, ut infinita prorsus entium genera, ac infinitum ipsorum numerum producere possit; sed infinitis illis entium generibus, sive infinito rerum numero producendo infinita vis, & omnipotentia requiritur; ergo in Deo infinita illa agendi vis, ac omnipotentia admitti debet.

Quam-

* Deus facit sibi esse materiam, quia potest: posse enim Dei est; nam, si non posset, Deus non esset. *Lact. Instit. Lib. 2. cap. 10.*

Quamvis autem ejusmodi agendi vis infinita in Deo agnosci debeat, ad illa tamen entia producenda extendi non poterit, quæ intrinsece repugnantia, contradictoria, metaphysice, essentiaque sua impossibilia sint. Plurimi quidem ex veteribus, ac recentioribus etiam Philosophis memorantur, (a) qui, Cartesii instar, eam agendi vim Deo tribuendam esse putaverint, ut nivem nigram, circulum quadratum, spiritum bipalmarem creare ille posset, simulque efficere ut ea, quæ facta fuerant, infecta sint. * Sed, ut alibi jam demonstratum, ejusmodi contradictoria neque *entia*, neque *possibilia* in se sunt; adeoque divina potentia, quæ solis *entibus*, licet infinitis, producendis par esse debet, ad *non entia*, sive ad contradictoria extendi non debet; ac Deus ipse semper *omnipotens* esse, vocarique poterit, quamvis ejusmodi contradictoria efficere, vel rerum essentias invertere, ac mutare non possit.

III.

Libertas.

Exinde quoque libera, ac prorsus indifferens

(a) *Vid. Moshem. in notis ad Cudvor. Cap. 5. Sect. 1.*

* Τὸ δὲ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσαι· διὸ ἀγαθῶς Ἀγαθιών
Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ Θεὸς στερίσκεται
Ἀγένητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα
Quod factum est, ut sit infectum fieri non potest. Unde optime Agatho:
Hoc namque dumtaxat negatum est Deo
Quæ facta sunt, infecta posse reddere.
Arist. Moral. Nicom. Lib. 6. cap. 2.

rens eligendi vel non eligendi vis, agendi vel non agendi voluntas demonſtratur, quæ in Deo reperitur. Etenim entia mere poſſibilia ſunt infinita, & ipſorum cuilibet prorſus eadem, par, & æqualis poſſibilitas, ſive capacitas, & aptitudo, vel indifferentia convenire debet, ut exiſtere, ſive produci fortaſſe poſſit; nihilque prorſus in ipſorum aliquo concipi, vel eſſe poteſt, quo ceteris æque poſſibilibus entibus præferri mereatur, ideoque ex infinito poſſibilium entium numero ſeligi, ceteriſque omiſſis produci debuerit. Ergo quod ex infinito poſſibilium entium numero hæc potius, quam alia, producta, atque ex poſſibilitate ad exiſtentiam translata fuerint, hoc potius, quam alio tempore, loco, & modo producta fuerint, id à ſolo divinæ voluntatis arbitrio, adeoque libera Dei electione pendere poterit; ut proinde perfecta libertas in Deo admittenda ſit. Leibnitius quidem, Volfius, aliique plures opinantur quod Deus in operando *Ratione ſufficienti*, veluti perenni, conſtantique lege dirigatur; adeoque illa ſolum produxerit, aut producere aliquando poſſit, quæ magis huic rationi ſufficienti convenientia ſint, ideoque ceteris omnibus rite ſpectatis meliora, & perfectiora ſint: ut proinde hic Mundus à Deo creatus Mundorum omnium poſſibilium optimus, ac perfectiſſimus eſſe debeat. Cui quidem ſententiæ Veteres illi facem prætuliſſe videntur, qui temere exiſtimarunt Deum nihil aliud efficere potuiſſe, quam quæ fecit; nec alia ratione Univerſum hoc diſponere, ac moderari potuiſſe, quam vere diſpoſuerit, ac moderetur. Sed ejuſmodi *Rationis ſufficientis* principium, quod in neceſſariis cauſſis admittendum eſſe jam vidimus, prorſus immerito in Deo quoque admitti opportunius ali-

bi demonstravimus; cum in rebus possibilibus, quæcumque illæ fuerint, nihil prorsus intelligi, vel effingi possit, quo produci potius, quam non produci meruerint; nec alia divinæ voluntatis ratio, motivum, aut sufficiens agendi caussa effingi possit, quàm libera, ac indifferens potestas illa, qua ex infinitis entibus æque possibilibus unum potius quam aliud selegit, ex variis agendi modis unum potius, quam alium adhibuit; ex variis entium ordinibus qui perfecti, perfectiores, vel perfectissimi esse poterant, illum selegit, qui perfectus esset; sed ita tamen ut perfectiorem alium eligere potuerit.

IV.

Scientia.

Quandoquidem vero Deus ex innumeris, planeque infinitis entium generibus, quæ æqualiter possibilia fuerant, unum seligere, velle, ac producere non poterat, nisi prius Ens illud perspicue, distincteque cognovisset, quod ex possibilibus aliis eligendum, atque ex possibilitate ad existentiam transferendum erat, simulque universam entium omnium æque possibilium seriem perspexisset, quæ adhuc possibilia relinquenda fuerant, perspicue apparet quod entium omnium possibilium cognitio in Deo admitti debet. Sed entia possibilia sunt infinita, ergo in Deo infinitorum entium, vel objectorum cognitio, adeoque infinita scientia, vel *omniscientia* reperitur.

Ejusmodi verò Dei cognitio ita distingui solet, ut illa quidem, qua Deus entia mere possibilia cognoscit, *Scientia simplicis intelligentiæ* dicatur; illa vero, qua res existentes vel futuras cognoscit, eas nimirum,

quas

quas Deus ipse produxit, vel producere decrevit, *Scientia visionis* vocetur. Hinc Deus possibilia quælibet in omnipotentia sua, veluti speculo contemplatur, quod nimirum illa in infinita Dei potentia veluti caussa contineantur, existentia vero, sive futura Deus ipse in libero suæ voluntaris decreto cognoscit, quo res illas aliquando futuras esse constituit; adeoque ipsarum singulas veluti jam existentes, sibique præsentes intueatur, cum in Deo, ejusque æternitate nulla temporis varietas esse possit, ut inferius ostendetur.

Opportune verò jam alibi demonstravimus quod nihil prorsus, ne liberi quidem, vel contingentes humanæ voluntatis actus independenter à Deo, vel divinæ voluntatis decreto futuri esse possunt; ideoque Deus ejusmodi quoque liberos humanæ voluntatis actus non in ipsis hominum voluntatibus tertio quodam scientiæ genere speculatur, quæ *Scientia media* à pluribus appellatur; sed in ipso potius decreto suo *scientia visionis* ab æterno cognovit; * quamvis hæc invariabilis divina cognitio vel præscientia, ac immutabile divinæ voluntatis decretum, quod ejusmodi scientiæ conjungitur, humanæ libertatis arbitrio detrahere, ideoque humanæ

* Profecto desipitis, *Pelagiani*, qui dicente Veritate: Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui: dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum: atque ita contradicitis Apostolo dicenti: non ex operibus; quasi non posset dicere non ex præsentibus, sed ex futuris operibus. Sed ait non ex operibus, ut Gratiam commendaret. *S. Augustin. contra Epist. Pelag. Lib. 2. cap. 7.*

næ voluntatis actibus necessitatem inferre non possit.

V.

Spiritualitas.

Ejusmodi verò scientia, ac libertas, infinita nimirum cognitio, simulque liberrima agendi vis, qua Deum præditum esse jam vidimus, perspicue certoque nobis ostendit Deum ipsum spiritualem, & incorporeum esse oportere. Etenim cognitio, atque indifferens agendi vel non agendi vis materiæ, sive corporeæ substantiæ convenire certe non potest, ut alibi jam demonstravimus ubi de incorporea Mentis humanæ natura agebatur. Ergo, si in Deo perfectissima, ac infinita cognitio, simulque perfectissima, ac infinita libertas reperitur, ille incorporeus, & spiritualis esse debet. Accedit etiam quod inter alia entium genera, quæ libere, consultoque à Deo producta sunt, aliqua reperiuntur, quæ spiritualia, vel incorporea sunt, ut humanæ Mentes, & Angeli; ergo, si Deus incorporeos effectus quosdam produxit, aliosque infinitos illorum instar æque possibiles creare potest, ipse quoque incorporeus censendus erit; ne scilicet effectus aliquis caussa sua nobilior, atque perfectior effingi debeat; ac Deus perfectionem aliquam alteri concessisse dicatur, quam in se non habebat. Denique prima Caussa, primusque Motor, qui corporibus omnibus, ipsique materiæ motum impressit, corporeus ac materialis esse non potest; alioquin ipse quoque motum illum materiæ contingentem ab alio recepisset. Ergo Motor ille, primusque rerum Opifex omnino Spiritus esse debet;

quem-

quemadmodum Aristoteles * ipse Deum prorsus immobilem, partium expertem, & incorporeum esse oportere ex perspicua primi Motoris idea manifestissime demonstravit.

VI.

Simplicitas.

Infertur etiam divinam substantiam ita simplicem, atque indivisibilem esse oportere, ut compositionem omnem excludat. Certe, cum Dei substantia spiritalis, & incorporea sit, *physicam* compositionem admittere, variisque partibus constare non poterit. Nec ipsa quoque *metaphysica* partium varietas, ac distinctio in Deo effingi poterit, ut in illo *potentia, & actus, genus & differentia, substantia, & accidens, essentia* demum ab *existentia* distincta, aut alii quilibet metaphysici gradus invicem distincti reperiantur. Etenim quidquid vel *potentiæ*, vel *generis* ideam habere concipitur, imperfectum censeri, ideoque ab *actu*, vel *indifferentia* perfici, sive compleri concipitur; quemadmodum prorsus accidentia, vel modi, vel attributa substantiam perficere, ipsique novum aliquod esse, quo destituta fuerat, tribuere conspiciuntur; atque *existentia* veluti nova quædam & con-

* Ὅτι μὲν οὖν ἔστιν οὐσία τις ἀΐδιος καὶ ἀκίνητος καὶ κεχωρισμένη τῶν αἰσθητῶν φανερόν· δέδεικται δὲ καὶ ὅτι μέγεθος οὐδὲν ἐνδέχεται ἔχειν ταύτην τὴν οὐσίαν, ἀλλ' ἀμερὴς καὶ ἀδιαίρετός ἐστι. *Quod itaque est quædam æterna immobilisque substantia, & à sensibilibus separata constat. Ostensum autem est quod nec ullam magnitudinem possibile est hanc substantiam habere, verum impartibilis, ac indivisibilis est.* Arist. Metaph. Lib. 14. cap. 7.

& contingens perfectio ipsi *essentiæ* superaddi censetur. Itaque, cum nulla prorsus imperfectio in Deo admitti possit, quidquid in Deo reperitur, ac ipsa quoque existentia natura essentiaque illi conveniat, adeoque neque existentia neque ceteræ perfectiones ab ejus essentia, sive substantia distinguantur, in Deo summa, ac infinita simplicitas admitti debet.

Quamvis ergo perfectiones illæ, vel attributa, quæ in Deo reperiuntur, ita ab intellectu nostro concipi consueverint perinde quasi inter se, aut à divina substantia, ac essentia distincta forent, illa tamen neque inter se, neque à Deo distinguuntur; sed quidquid in Deo reperitur, est ipse Deus, divina cognitio, divina potentia &c. nihil est aliud, quam eadem illa divina substantia, quæ cum infinitas vires, & actus exerat, distinctis fere principiis æquivalet, adeoque perfectiones illæ, sive attributa, quibus actus illi adscribuntur, non *entitative*, neque *modaliter*, sed *virtualiter* solum tum à divina substantia, tum inter se distinguuntur.

VII.

Infinitas.

Quod vero Deus ipse in quolibet perfectionis genere infinite perfectus sit, ex ipsius natura superius exposita demonstratur. Quemadmodum enim finitis illis creatarum rerum generibus, quæ jam existunt, plurimæ perfectiones inesse conspiciuntur, quæ prius quam libero divinæ voluntatis arbitrio productæ, rebusque singulis concessis forent, mere possibiles erant: ita quoque infinitis aliis infinitarum rerum æqualiter possibilium gene-

generibus infinitæ perfectiones aliæ inesse poterunt; adeoque aliarum existentium vel productarum instar ab infinita Dei potentia produci possunt. Ergo, sicuti finitæ perfectiones illæ jam productæ in Deo veluti causa continentur; ita quoque perfectiones aliæ possibiles, quamvis infinitæ, quæ à Deo infinitis entium possibilium generibus concedi possent, in Deo possibilium omnium caussa contineri debent; ideoque Deus in quolibet perfectionis genere infinite perfectus erit. Ac certe quidem, si Deus aliquo perfectionis genere, vel gradu carere posset, aut in illo perfectionis genere finitus esset, ab alio perfici, complerique posset: quod ab Entis necessarii, vel independentis idea perspicue abhorret; & quemadmodum Deus infinitis infinitorum generum entibus possibiles omnes, hoc est infinitas perfectiones tribuere profecto potest, ita quoque illas ipsas sibi tribuere posset; nec ulla ratio effingi poterit cur possibiles perfectiones omnes sibi non concesserit; cumque in Deo *possibilitas* ab *existentia*, sive *potentia* ab *actu* distingui nequeat, & quidquid illi possibile, vel conveniens esse concipitur, necessario, essentiaque sua in illo existere, vel admitti debeat, dubitari certe non poterit quin possibiles, ac infinitæ perfectiones omnes in illo reperiantur.

Quo tamen loco observari plurimum debet quod perfectiones illæ, quæ creatis rebus inesse possunt, ita distingui solent, ut aliæ quidem *simpliciter*, & *absolute* tales; aliæ vero *secundum quid* perfectiones esse dicantur. Simpliciter, & absolute perfectio vocatur illa, quæ defectum aliquem adjunctum non habet, neque alteri majori, nobiliorique perfectioni opponitur, quamvis ipsa finita, ac limitata in se sit. Ita *justi-*

tia; *bonitas*, *existentia* &c. simpliciter, & absolute perfectio vocatur, quod quamvis finita sit, in eo tamen genere defectum excludit, nec alteri nobiliori perfectioni adversatur. Perfectio verò secundùm quid appellatur illa, quæ aut defectum aliquem complectitur, aut certe nobiliori cuidam perfectioni opponitur. Ita *extensio*, *figura*, *color* &c. quamvis in suo genere perfectiones aliquæ sint, alteri tamen nobiliori perfectioni, nimirum *spiritualitati*, adversantur, neque cum illa componi possunt. Ita ratiocinando vis, ac facultas, qua veritas una ex alia inferatur, perfectio quidem est; sed nobiliori tamen perfectiorique cognoscendi modo opponitur, quo veritates omnes unico, eodemque intuitu cognoscantur. Itaque cum dicimus quod infinitæ perfectiones omnes, quæ tum creatis, tum possibilibus etiam entium generibus inesse possunt, in Deo reperiuntur, hoc sane discrimen in perfectionibus illis admitti debet, ut perfectiones illæ, quæ simpliciter, & absolute tales dicuntur, in Deo *formaliter*, ac entitate sua reperiantur; ceteræ verò perfectiones omnes, quæ secundùm quid tales fuerint, cujusmodi certe sunt corporeæ affectiones, in Deo non *formaliter*, sed *eminenter* solum, ac *virtualiter* inesse dicantur; quod ille nimirum vim, ac potentiam habeat, qua perfectiones ipsas producere, creatisque rebus tribuere repente possit; quamvis illas in se non contineat.

VIII.

Æternitas, ac *Immortalitas*.

Ipsa quoque Dei æternitas ex perspicua ipsius idea, ac natura manifestissime demonstra-

ſtratur. Etenim Ens illud, quod ita natura ſua, vel eſſentia neceſſario exiſtit, ut non exiſtere non poſſit, ſemper extitiſſe debet; alioquin, ſi aliquando incæpiſſet eſſe cum prius non exiſteret, tunc non eſſentia ſua, & neceſſario, ſed contingenter ſolùm exiſteret; atque illud eſſe, quod habet, aut à nihilo, aut ab alio recepiſſet.

Ita quoque perſpicuè apparet quod Deus ipſe ſemper exiſtere, vel immortalis eſſe debebit; alioquin, ſi aliquando deſinere, vel auferri poſſet, non eſſentia ſua, ac neceſſario, ſed contingenter exiſteret, ac illud eſſe, quod habet, ab alio ipſi auferri poſſet, ejuſque duratio, vel exiſtentia ab alio penderet: quod ab Entis neceſſarii, vel independentis idea, ac natura manifeſtiſſime abhorret.

Æternitas autem illa, ſive perennis duratio, quæ Deo convenit, differentias omnes excludit, quæ in tempore ab intellectu noſtro diſtingui ſolent, in illa nimirum duratione, quæ aliquando incæpiſſe concipitur, ut aliquando finem habere poſſit; adeoque plurimis, ac infinitis etiam partibus ita componitur, ut illæ ſimul exiſtere non poſſint, ſed potius ipſarum una alteri ſuccedat. Itaque in æternitate neque *prius*, neque *poſterius*, nec ullæ proinde partes admitti poſſunt; ſed perennis illa, ac infinita duratio, prorſus indiviſibilis eſſe debet, adeoque ſingula tum præterita, tum futura veluti præſentia complectitur. Hinc à Boethio Æternitas illa definitur (*a*) *Interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; quod nimirum Deus beatitatem illam, durationem, ac per-

(*a*) *Conſol. Philoſ. Lib. 5. p*[illegible]*ſ. 6.*

perfectiones omnes, quas ab æterno habuit, atque *in æternum & ultra*, ut in Sacris Litteris legitur (*a*), est habiturus, quolibet momento, quod à nobis concipitur, habere, eaque perfectissima, ac infinita beatitate felix esse debeat.

IX.

Immutabilitas.

Infertur etiam Deum prorsus immutabilem, ac invariabilem esse oportere. Siquidem Deus ab alio Ente mutari non potest, cum ab alio pendere, aut ab alio quidpiam recipere non possit. Nec etiam à se ipso mutari ille poterit, hoc est sibi tribuere aliquod esse, quo prius careret, vel sibi eripere aliquod esse, quod prius haberet; alioquin, si vel ente, vel attributo, vel perfectione quadam caruisset, infinite perfectus esse non potuisset; & si perfectionem aliquam, aut attributum amitteret, infinite jam perfectus, adeoque Deus esse non posset. Itaque, cum Deus æternus, ac immortalis esse debeat, neque incipere, neque desinere aliquando potest; adeoque in substantia sua immutabilis esse debebit; cumque infinite perfectus haberi, vocarique debeat, nunquam prorsus perfectionem ullam acquirere, aut amittere, ideoque in attributis ipsis mutari ille poterit; sed in utroque genere invariabilis, constans, ac immutabilis est futurus.

Ejusmodi vero immutabilitas optime intelligi, salvarique poterit, quamvis Deus non

ab

(*a*) *Exod. cap.* 16. *v.* 18.

ab aeterno, sed potius *in tempore* Mundum produxerit, & humanos Animos, & effectus alios subinde producat. Etenim illa mutatio non *intrinseca*, sed prorsus *extrinseca* censeri debet; illa nimirum in effectu solum concipi, vel admitti debet, qui prius non extiterat, ac esse cœpit; non autem in Deo, in quo nulla temporis varietas, nihil aut prius, aut posterius, nulla denique partium varietas, ac successio effingi potest; sed effectus omnes, qui respectu nostri, vel temporis partim *futuri*, partim *praeteriti* censeri, vocarique possunt, respectu Dei semper una conjuncti, ac *praesentes* esse debent, ut in explicanda ipsius aeternitate jam demonstravimus.

X.

Immensitas.

Immesitas etiam, ex superioribus attributis inferri facile poterit, qua Deus ipse cuilibet enti creato, vel loco intime praesens sit. Quemadmodum enim Deus cuilibet enti, quod in Universo reperitur, libere, consultoque dedit illud esse, quod habet; ita quoque illud ipsum esse, quod dederat, auferre ipsi potest; nihilque aut incipere, aut durare poterit, nisi Deus ipsum conservet, eademque vi, qua produxerat, ipsum perenniter tueatur; unde conservatio non aliud, quam continuata quaedam productio censeri, vocarique solet. Itaque, cum Deus neque rem ullam creare, neque rem ipsam antea productam conservare possit, nisi virtute, potentia, adeoque substantia sua ipsi praesens sit, divina substantia creatis rebus omnibus intime adesse debet. Accedit etiam quod motus, & actus omnes, quicumque illi fuerint.

sint, qui creatis rebus inesse, aut ab illis exeri sive produci possunt, à Deo veluti primo Motore, supremaque caussa pendere debent; ut proinde nullum ens concipi, vel effingi possit, quod ab ipso Deo veluti caussa non oriatur, quæ tum in necessariis, tum in liberis etiam entibus, aut caussis operetur. * Ergo, si Deus rebus omnibus à se productis, & conservatis operari, ipsisque intime adesse debet, singulis omnino rebus ac locis præsens esse, adeoque immensus esse debebit; ut nulla proinde res, aut Universi pars, aut spatium effingi possit, in quo Deus hujus præsentiæ, vel immensitatis ope non existat.

Quamvis autem universa creatarum rerum compages certis quibusdam finibus circumscripta sit, adeoque Mundus ipse neque *infinitus*, ut plurimi existimarunt, neque *indefinitus*, ut putavit Cartesius, sed omnino *finitus* sit, ideoque Deus finitæ solum rerum compagi præsens sit; divina tamen immensitas, aliorum attributorum instar, infinita esse debet. Etenim ille infinitis rebus, ac Mundis aliis possibilibus inesse, vel præsens esse potest; & quemadmodum prorsus Deus ipse, quamvis finitas res, & effectus produxerit, omnipotens tamen censeri vocarique debet, quia infinitos effectus alios producere potest; ita quoque immensus erit, quia infinitis rebus aliis inesse potest: quo plane fieri oportet ut Deus ab æterno quoque immensus fuerit, quamvis effectum nullum extra se produxisset; nullique proinde extrinse-

cæ

* Deus non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso etiam vivimus, & movemur, & sumus. *Act. Apost. cap.* 19. *v.* 28.

cæ rei præsens esset; quia nimirum ab æterno quoque res producere, ipsisque adesse poterat.

XI.

Unitas.

Denique ex ipsa Dei natura, idea, vel charactere superius explicato ipsius unitas manifestissime demonstratur. Etenim *Dei* nomine intelligitur Ens illud, quod essentia sua necessario existit, quod infinitam agendi vim, infinitas perfectiones alias infinito modo complectitur, ceterasque res omnes libere, consultoque produxit, sed contingens illa rerum productio optime intelligi salvarique potest, quamvis unicum necessarium Ens admittatur, quod independens, omnipotens, æternumque sit; ac nulla prorsus ratio, vel demonstratio ex contingentibus productisque rebus afferri potest, quæ nos ad plura necessaria Entia, pluresque Deos deducat; ergo Deus ille rerum omnium caussa, vel opifex unicus admitti debebit.

Deinde vero, si plura necessaria Entia, pluresque Dii admitterentur, ipsorum unus ab alio certo quodam discrimine, vel charactere distingueretur; alioquin, si quidquid in uno reperitur, alteri quoque inesset, adeoque eadem prorsus natura, eadem attributa, eædem perfectiones omnes singulis Entibus, ac Diis illis communes essent, Ens unum ab alio distingui, sive Deus unus ab alio secerni non posset; ideoque non multiplex, sed unicus admitteretur. Sin vero attributum aliquod effingatur, quod uni solum inesse debeat, & alteri convenire non possit, nullum ex Entibus illis infinitum, aut infinite perfectum erit, adeoque Deus haberi, vocarique non poterit.

Ita

Ita quoque, si quidquid à pluribus Entibus illis efficitur: ab unico solum Ente præstari potest, plures illi superflui, inutiles, adeoque rejiciendi sunt: sin vero quidquid à pluribus illis efficitur, ab unico, sive ipsorum aliquo præstari non potest, unicus ille omnipotens esse, ideoque Deus haberi non poterit.

Quod si ipsorum quilibet parem, ac infinitam potentiam haberet, ac ipsorum quilibet effectum aliquem producere vellet, nunquam effectus ille produceretur. Etenim, si Deus unus certo cuidam corpori certum quendam motum, aut celeritatem imprimere vellet, ut ex. gr. graduum quatuor; & par in altero quoque Deo voluntas, ejusdemque celeritatis producendæ cupiditas haberetur, adeoque uterque quatuor illos celeritatis gradus imprimeret, corpus non *quatuor*, sed *octo* celeritatis gradibus moveretur; ea nimirum celeritas oriretur, quæ à nullo prorsus Deo imperata, vel impressa fuisset. Sin verò dispar voluntas, aut oppositus voluntatis actus in iis reperiretur, ac Deus unus calorem, alter frigus; unus motum, quietem alter, unus rotundam, quadraram figuram alter producere vellet, unius potentia, vel agendi vis ab æquali prorsus alterius potentia veluti extingueretur; adeoque neuter ex illis operari, & effectum producere profecto posset.

Denique, nisi Deus omnino simplex, atque unicus admittatur, infinita prorsus Deorum multitudo admittenda foret. Etenim, si duo vel plures Dii possibiles essent, in Entis necessarii idea vel essentia nulla repugnantia reperiretur, ut illa multiplex esse, adeoque pluribus Entibus convenire posset. Sed eadem illa ratio, quæ duo, vel plura Entia necessaria veluti possibilia ostenderet, infinitos.

tos etiam Deos æque possibiles, vel non repugnantes esse demonstraret: cùm eadem illa possibilitas, quæ secundo, ac tertio inesse posset, nullis omnino finibus circumscribi, sed eodem ipso jure ad innumeras ac infinitas etiam extendi possit; ergo infiniti Dii æqualiter possibiles concipi, vel admitti deberent. Ergo, quemadmodum unus ex illis necessario, essentiaque sua existit, ita quoque aliorum quilibet, cui par & æqualis possibilitas, ac Entis necessarii idea convenire debet, necessario essentiaque sua existeret; ideoque Dii prorsus infiniti existerent. Sed infinitus ille Deorum numerus evidenter adeo repugnat, ut ne ipsi quoque *Polytheitæ*, Ethnici nimirum, qui plures nempe Deos admisere, infinitum illum Deorum invicem æqualium numerum effinxerint, ergo, ne infinitus hic Deorum numerus admittatur, simplex omnino, atque unicus Deus agnosci debet.

Nihil est autem cur exponendis, refellendisque Ethnicorum erroribus immoremur, qui plures, invicem contrarios, genitos, longeque hominibus sceleftiores Deos effinxere. Quam graviter impudenterque in ejusmodi Diis effingendis illi aberraverint, Lucianus, Cicero, Plato, aliique plurimi demonstrarunt; ne Justinum, Clementem, Tatianum, Hermiam, Augustinum, aliosque Patres hic memorem, qui contra veterem Ethnicorum sententiam subtiliter, & accuratissime disputarunt. Illud unum observasse nunc juverit, quod nobiliores omnes Philosophi (a) contempto Deorum popularium grege Deum unum, æternum, omniscium, omnipo-

(a) *Vid. Cudvort. cap.* 4. §. 20.

nipotentem, invisibilem, incorporeum, immutabilem, immensum admisere; quamvis aut vulgi opinionibus, aut animi ægritudinibus, aut alio quodam impetu abrepti, Deum ingenue fateri, ac venerari noluerint.

CAPUT IV.

De moralibus attributis Dei.

I. SUpremo tandem hoc loco perfectiones illæ, vel attributa proponi ostendique debent, quæ divinæ substantiæ conveniunt, ac *moralia* vocari plerumque solent; sive quod illa ad voluntatem potissimum referantur; sive potius quod, sicuti in homine perfectiones illæ vel attributa, quæ ad *bonum*, veluti objectum diriguntur, *moralia* vocantur; ita quoque perfectiones illæ, quæ in Deo ad bonum ipsum referri concipiuntur, *morales* dicuntur, ut perspicuo quodam discrimine à ceteris distinguantur, quæ substantiam ipsam perficere existimantur, ideoque *physica* vocantur. Ejusmodi verò *moralia* Dei attributa ad quinque præsertim capita revocari possunt, de quibus hìc ordine agendum erit.

II.

Bonitas.

Si *bonitatis* nomine intelligatur illa perfectio, vel ratio, qua ens, & objectum aliquod amari potest, ut in prima Metaphysicæ Parte jam diximus, dubitari certe non poterit, quin maxima, & infinita bonitas in Deo reperiatur; cum ille in quolibet entis, ac perfectionis genere sit infinitus; adeoque infi-

infinitam prorsus bonitatem, atque amabilitatem contineat, quæ omnes humani cordis affectus, desiderium omne, omnemque amorem allicere, satiare, & explere perfecte possit; ut proinde Deus ipse ceteris objectis amabilibus, vel bonis omnibus præferri, sive super creata, ac possibilia bona diligi debeat.

Quod si *bonitatis* nomine intelligatur illa perfectio, qua Deus nonnisi bonum efficere, cupere, & probare potest, perspicue deprehendi poterit quod hæc ipsa bonitas in Deo reperitur. Etenim quidquid ab infinita Dei potentia produci potest, *ens* esse debet, adeoque essentiam, existentiam, naturam, variasque affectiones habere, quarum quælibet ens esse, adeoque *bonitatem*, quæ cuilibet enti necessario conjungitur, continere debet. Ergo nihil à Deo fieri, vel produci potest, quod omni physica bonitate carere, ideoque *physice malum* censeri, vocarique possit, ut inferius etiam ostendetur. Quod vero ad *malum morale*, sive *peccatum* attinet, illud à Deo fieri, sive produci non potest; cum peccatum ipsum non *positiva* quædam, ac realis entitas, sed sola *privatio* sit ejus ordinis, honestatis, ac perfectionis, quæ liberis voluntatis actibus inesse deberet; adeoque ab illa solum causa producatur, quæ in exerendis actibus deficere, ac imperfecta esse possit. At Deus, cum in quolibet entis, ac perfectionis genere sit infinitus, nihil imperfectum efficere, nunquam à fine sibi proposito deficere, nihil essentiæ, majestati, dignitatique suæ contrarium moliri, cupere, ac probare potest; ergo, licet peccatum ipsum, ac morale malum in liberis hominum voluntatibus permittere subinde possit, ut inferius exponetur; nunquam tamen peccati caussa censeri ille poterit, adeo-

que

que peccatum in hominibus permissum divinæ bonitati detrahere, vel adversari non potest.

Denique, si hoc ipso *bonitatis* nomine ea potius perfectio, sive propensio intelligatur, qua Ens aliquod alteri consulere, prodesse, bonum tribuere concipitur, adeoque *beneficum* appellatur, hæc ipsa quoque bonitatis species, aut *beneficentia* maxima in Deo, ac infinita prorsus agnosci debet. Ille nimirum singula rerum existentium genera libere sponteque produxit, cum ipsarum quælibet indole, naturaque sua contingens, possibilis, nihilque foret; ex infinito rerum æque possibilium numero quosdam secrevit, ut illas ex nihilo ad esse, ex possibilitate ad existentiam transferret: non quod in ipsarum aliqua meritum ullum, aut ulla ratio concipi vel inesse potuerit, ut ceteris præferri, atque ex infinitis aliis eligi deberet; verum potius quod libero solum divinæ voluntatis arbitrio, liberalitate, ac beneficentia producta fuerit. Itaque, si Deus, qui natura essentiaque sua perfecte felix, sibi sufficiens, ac beatissimus esse poterat, innumera fere rerum genera libero, ac beneficentissimo arbitrio suo produxit, eadem variis perfectionum generibus exornavit, eademque perenni tenore ac potentia sua conservat, quis aperte non videat quod infinita bonitas, ac beneficentia in illo admitti debet; nihilque prorsus effingi potest, in quod ex uberrimo hoc beneficentiæ fonte aliquid non manaverit?

III.

III.

Justitia.

Quandoquidem vero Deus ipse inter alia Entium genera, quæ libere, sponteque produxit, humanos Animos esse voluit, qui incorporeæ cognitionis munere, ac libero voluntatis arbitrio prædici forent, adeoque prorsus incorruptibiles, ac immortales esse deberent, ipsorum singulis ultimum quendam finem ipsorum naturæ convenientem præscribere profecto debuit, ad quem in liberis ejusmodi voluntatis actibus exerendis constantissime dirigeretur. Itaque naturæ legem ipsorum singulis veluti impressit, variasque leges alias constituit, quarum præsidio voluntas ipsa dirigeretur, in servandis illis honestas, ac moralis bonitas, in violandis autem pravitas in humanis actibus orietur. Quo plane fieri oportuit ut hominibus illis, qui leges à Deo constitutas servarent, præmia; iis vero, qui legibus adversarentur, pœnas proponere, & æquissima lance distribuere deberet. Hinc plurimis attributis aliis, quæ Deo veluti primæ supremæque Caussæ, adeoque etiam ultimo supremoque Fini conveniunt, Æquitas ipsa, sive Justitia adjungi debet; alioquin ille temere prorsus, & inconsulto homines ad ultimum finem aliquem direxisset, ipsorum singulos moralis bonitatis, æternæque felicitatis capaces fecisset, iisque & rationis lumen, & honestatis cognitionem, & virtutum semina, & naturæ legem concessisset; nisi deinde honestis quidem præmia, sceleftis autem pœnas tribueret. Quod verò in ejusmodi præmiis aut pœnis tribuendis accuratissima, ac infinita prorsus æquitas, ac justitia

ſtitia in Deo reperiatur, ex ipſius bonitate, ſive beneficentia ſuperius expoſita manifeſtiſſime demonſtratur. Etenim, ſi fortaſſe Deus iniquis præmia, vel juſtis pœnas tribueret, odio, livori, aliiſque ægritudinibus obnoxius eſſet, quod ab optimæ, perfectiſſimæ, ac beneficentiſſimæ naturæ idea abhorret; &, quemadmodum humanus Animus perfectus eſſe non poteſt, ſi malum diligat, iniquis præmia, pœnas honeſtis infligat, ita quoque Deus ipſe perfectus eſſe non poſſet, ſi in præmiis, pœniſque tribuendis æquitatem illam conſtantiſſime non obſervaret, ut juſtis tantummodo præmia, iniquis ſolum pœnas decerneret.

IV.

Sanctitas.

Hæc ipſa ratio perſpicue ſimul oſtendit quod in Deo maxima, & infinita ſanctitas admitti debet, qua nonniſi bonum præcipere, conſulere, probare poſſit; malum vero prohibere, averſari, & odiſſe debeat; ut proinde ritus omnes ac leges, quæ ab illo propoſitæ vel conſtitutæ ſunt, honeſtati, decori, rationi, & ſanctitati repugnare non poſſint. Exinde vero conſtans, intrinſeca, & invariabilis quorundam humanorum actuum bonitas oriri debet, ut illi nimirum, qui indole naturaque ſua honeſtati ſunt, ut accuratius in Ethica demonſtratur, à Deo improbari; ii viciſſim, qui intrinſece ſuaque natura pravi vel indecori ſunt, ut *mendacium*, *perjurium*, *blaſphemia* &c. nunquam à Deo probari, conſuli, ac præſcribi poſſint; quamvis incolumi Dei ſanctitate actus illi in hominibus ab infinita Dei ſapientia, ac providentia permitti poſſint.

V.

V.

Veracitas.

Itaque moralibus attributis aliis, vel perfectionibus, quæ in Deo reperiuntur, Veracitas etiam adjungi debet, quo aliquid revelando fallere, vel aliquid promittendo deesse non possit. Etenim mentiri, fallere, in errorem alios inducere, promissis deesse, vel fidem alteri obstrictam violare summæ ac infinitæ bonitati, sanctitati, vel perfectioni repugnat, ac in hominibus ipsis turpe, & indecorum censetur, ideoque sanctitati, justitiæ, beneficentiæ, finitis nimirum ipsorum perfectionibus, adversatur. Ergo nulla prorsus ex imperfectionibus illis in infinita, perfectissimaque Dei natura concipi, vel effingi poterit; sed ille potius virtutes, ac perfectiones omnes iis ægritudinibus, erroribus, aut vitiis oppositas infinito modo complectetur. Itaque, sicuti Deus, cum infinita rerum cognitione vel scientia præditus sit, errare, decipi, vel falli non potest; ita quoque, cum infinita sanctitate, beneficentia, ac perfectione polleat, alios fallere, decipere, ac mentiri non poterit; ideoque quidquid ab illo traditum, vel revelatum fuerit, quamvis ab intellectu nostro concipi, comprehendique non possit, sed tenues humanæ mentis vires excedat, verissimum censeri, ingenue modesteque admitti, & constanter etiam à nobis defendi debet. Ita quoque quidquid ab intellectu nostro perspicue certoque cognoscitur, tanquam certum admitti debet, ut proinde perspicuitas ipsa, vel evidentia veluti Veritatis character, nota, sive ut à Græcis vocatur, *Criterium* censeri debeat. Etenim, cum sensus ipsi, atque in-

intellectus nobis à Deo concessi fuerint, ut ipsorum ope, ac præsidio res cognoscere, aut veritatem inquirere possemus, si sensus omnes, vel intellectus in iis etiam deciperet, quæ nitide, constanter, ac evidenter ab illo cognoscuntur, tunc error ille, qui necessario, non libere, à nobis admitteretur, adeoque à nobis percipi, corrigi, vel deprehendi non posset, in Deum veluti auctorem refundi posset, quod ipsius perfectioni, beneficentiæ, ac Veracitati repugnat.

Denique quidquid ab ipso Deo nobis fortasse promissum fuerit, constanter ab illo sperare, vel expectare debemus, quidquid ab illo propositum, prævisum, decretumque sit, constanter, invariabiliter, certoque futurum censere; quamvis ejusmodi propositi, consilii, vel decreti caussa, præsertim verò divinæ præscientiæ, motionis, decretique concordia cum humanæ voluntatis arbitrio perspicue ab intellectu nostro percipi, vel explicari non possit, ut alibi demonstravimus.

VI.

Providentia.

Postremo ex principiis, & argumentis illis, quibus Dei existentia, & attributa singula superius exposita demonstrantur, ipsius etiam providentia manifestissime inferri potest. Etenim *Providentiæ* nomine intelligitur illa ratio, cura, & consilium, quo singula ad certum finem aliquem constantissime diriguntur, ut omnia rite, & consulto, nihilque prorsus inconsulto, vel temere fiat: ideoque quidquid in Universo fieri, contingere, vel esse conspicitur, perenni lege, consilio, prævisione, rectaque ratione

tione administretur. Ejusmodi vero curam, præscientiam, ordinem, & consilium in Deo reperiri ex ipsa Universi pulchritudine, partium ordine, concinnitate, nexu, dependentia, præsertim vero ex admirabili animatorum corporum textura perspicue demonstratur; innumeris nempe certisque indiciis ostenditur singulas ipsorum partes ad certum aliquem finem dirigi, eamque prorsus figuram, magnitudinem, & affectiones alias habere, quæ huic fini consequendo pares esse poterant. Ex ipsa quoque infinita Dei cognitione, ac infinita prorsus agendi potentia ipsius providentia demonstratur: cum nihil existere, sive produci unquam possit, quod à Deo prævisum non fuerit, nec aliud esse, vel existendi modum habere, quam qui libere consultoque ipsi à Deo constitutus, vel concessus fuerit; cumque Deus in variis rerum finibus præscribendis, in consilio decretoque suo nihil indecorum, temerarium, æquitati, rationi, justitiæ, ac bonitati contrarium eligere, decernere, ac operari unquam possit, in variis effectibus producendis nunquam à perennis providentiæ suæ legibus aberrabit.

VII. Atque hactenus quidem præcipua, vel clariora certe divinæ naturæ attributa complexi sumus, quæ bonum respicere, ad ipsius voluntatem referri, ideoque *moralia* vocari solent, in quibus bonitatem, justitiam, ac providentiam principe fere loco habendam esse demonstravimus: cum perfectiones illæ cum ipsa Dei, supremæque caussæ natura, vel idea arctissimo veluti fœdere conjungantur: ut ii proinde, qui Deum existere negarunt, hoc uno potissimum erroris, & argumenti genere abrepti fuerint, quod infinita quædam, per-

fecta, ac divina bonitas, justitia, ac providentia admitti non debeat; adeoque ne divina quidem substantia, vel Ens perfectissimum admitti possit; quod attributis illis præditum esse deberet. Quod vero infinita illa, perfectissima, Deoque conveniens bonitas admitti non possit, exinde conjicere, vel asserere nitebantur, quòd in Universo mala plurima occurrant, ac innumeri prorsus effectus subinde producantur, qui imperfecti, vitiosi, nobisque noxii sint. Ita ægritudines, ignorantia, errores, egestas, mors, atque ingens illa, ut ait Horatius (a) *febrium cohors*, quæ terris, ac humano genere incubuit, *physica* quædam *mala* censeri, vocarique debent. Ita serpentes, aliaque id genus animalia, quæ veneno, aculeis, feritate hominibus noxia, molesta, ac mortifera sunt, *mala*, aut *malefica* censeri debeant; adeoque bonitati, summæque beneficentiæ repugnant, qua Deus veluti amantissimus pater humani generis bono, ac faustitati ita consulere debuisset, ut nihil omnino ipsi incommodum, noxium, ac maleficum produceret. Itaque, cum à benefica, divinaque natura abhorreat, ut aliquid malum atque in hominum perniciem creaverit, Epicurus quidem, aliique plurimi effectus illos non à Deo, sed à fortuito solum materiæ motu productos esse dixerunt; veteres autem Persæ duplex omnino rerum Principium, duplicemque Deum admittendum esse putarunt, quorum unus *bonus*, ac beneficus foret, eosque solum effectus produxisset, qui *boni* sint; alter

(a) *Lib. 1. Od. 3. ver. 30.*

ter vero *malus*, (*a*) vel maleficus esse deberet, easque proinde res, & effectus creasset, qui noxii, vel *mali* forent. Persarum vestigiis institere hæretici Manichæi; & quemadmodum Persæ bonos effectus *Oromati* Deo, malos autem *Arimanio* tribuendos esse dixerunt; ita quoque Manichæi bonos effectus omnes à *Bono*, malos autem à *Malo* Principio, vel Deo repetendos esse putarunt.

Quemadmodum verò *mala physica*, plurimique vitiosi effectus, qui in Universo reperiuntur, divinæ bonitati repugnare videantur, ita quoque plurima *moralia mala*, sive peccata non modo bonitati, sed ipsi quoque Dei sanctitati adversari videntur. Itaque, cum plurima, ac prorsus innumera ejusmodi malorum genera subinde occurrant, perfecta quædam, benefica, & sanctissima rerum omnium Caussa admitti non poterit; nam illa si existeret, omnipotens, sancta, ac benefica esse deberet, adeoque singula malorum genera impediret, ne alioquin invida, impotens, aut malefica diceretur.

Denique plurima, quæ subinde observantur, divinæ justitiæ, ac providentiæ adversari ex eo perspicue deprehendi posse plurimi existimarunt, quod plurima temere, ac fortuito contingant; honesti justique viri calumniis, egestate, morbis, aliisque incommodis, ac pœnis premantur; scelesti vero felices, ac beati sint; ut proinde Diogenes ille Cynicus dixerit Harpalum prædonem contra Deos testimonium dice-

(*a*) *Vide Stanl. Phil. Orient. lib. 2. cap. 6.*

dicere, quod in illa fortuna tandiu viveret. (a)

VIII. Sed hæc, aliaque id genus, quæ ab Atheis, Deiſtis, Epicureis, & Manichæis contra divina attributa, adeoque facile adverſus exiſtentiam ipſam afferri ſolent, perſpicue certoque refelli poſſunt; ut proinde facile divina bonitas, ſanctitas, juſtitia, ac providentia defendi, ejuſque exiſtentia confirmari poſſit.

Ac primo quidem obſervari facile poterit quod effectus omnes, aut affectiones illæ, quæ *mala phyſica* cenſeri, vocarique ſolent, ut *dolor*, *ægritudo*, *egeſtas* &c. intrinſece potius, ac *poſitive* bona cenſeri debent; quippe quæ ſemper cum aliqua bonitate, vel perfectione conjuncta ſint; aliquam nimirum entitatem, vel perfectionem contineant, nec alia ſane ratione veluti *mala* concipi, ſive vocari illa ſoleant, niſi quod cum melioribus aliis, ac perfectioribus entibus comparentur. Itaque hæc entia cum melioribus comparata *minus bona* dicenda forent; ſed à nobis tamen uſitato quodam loquendi more *mala* dicuntur; quemadmodum prorſus palea, ſi cum gravioribus corporibus compararetur, *minus gravis* dicenda foret, ſed tamen *levis* vocatur; perinde quaſi nulla gravitate prædita ſit; eademque ratione virum, qui pauca didicerit, *imperitum*, qui pauca poſſideat, *inopem*, qui tenui ſanitate gaudeat, *infirmum* vocamus. Quod ſi res, & objecta ſingula non *relative*, ſed *abſolute* ſpectentur, perſpicue apparet quod rerum ipſarum quælibet eſſentia,

(a) Cic. de Nat. Deor. Lib. 3. cap. 34.

tia, existentia, variisque affectionibus aliis exornatur, adeoque intrinsece physiceque *bona* censeri debet: nihilque prorsus occurret, quod omni physica bonitate sit destitutum, adeoque *physice malum* vocari, divinæque beneficentiæ adversari possit.

Quamvis etiam dolor, ægritudo, mors, aliaque id genus intrinsece quoque boni cujusdam privationes, adeoque *physica mala* dicantur, ea tamen ab optima, & sapientissima Caussa permitti poterant; cum exinde rerum varietas, Universi pulchritudo, ac plurima bonorum genera oriantur. Ita ex hominum imbecillitate, egestate, morbis, ac mortis formidine hominum cupiditas, audacia, ac feritas, quæ nullis fere finibus circumscripta foret, lenitur, ac temperatur; ut exinde tranquilla societas inter homines oriatur. * Pleraque ex malis illis justa scelerum ac errorum pœna esse solent, quæ à Deo benefico quidem, sed justo tamen scelerum vindice, infligi debent. Quod si fortasse aliquando justis etiam contingant, optimè tamen à Deo permitti illa poterunt, ut ipsorum virtus illustrius appareat, ac purior reddatur, ideoque nobiliori præmio tandem coronetur.

Deinde vero observari etiam poterit, quod nos sæpissime fallimur cum singula ad nos ipsos referimus, adeoque res, & effectus illos aut utiles, aut bonos vocamus, qui nobis ipsis placere, prodesse, probarique solent;

---

* Si mors certæ constituta esset ætati, foret homo insolentissimus, & humanitate omni careret. Nam fere jura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu, & conscientia fragilitatis oriuntur. *Lactant. de Opif. Dei cap.* 4.

ent; eos vero viciſſim noxios, atque inutiles eſſe cenſemus, ex quibus nulla nobis utilitas, aut jucunditas oriatur. * Ejuſmodi vero judicii genus lubricum, fallax, ac iniquum eſſe oportere in Phyſica demonſtratur. Illud unum hìc obſervetur, quod ſi ejuſmodi judicii, vel diſſerendi modo vis ulla eſſe poſſet, homo ipſe ceteris animantibus omnibus deterior eſse deberet; non modo quod ille pleriſque animalibus aliis inutilis, ac noxius videatur; verum etiam quod nullum prorſus animal aliud homini infeſtius homine ipſo eſse poſſit. Itaque, ſi de rebus non ex affectu noſtro, ſed ex ipſarum indole, ac natura judicium feratur, nulla prorſus afferri poterit, quæ inutilis, noxia, vel phyſice mala cenſenda ſit, adeoque ab optimæ, ac beneficentiſſimæ Cauſsæ natura abhorreat.

Itaque jam ſola ſupererunt *moralia mala*, ſive peccata, quæ vere *mala* cenſenda ſint, omnique proinde tum phyſica, tum morali bonitate deſtituta ſint; ideoque divinæ ſanctitati, vel bonitati repugnent. At peccatum ipſum, cum neque ens ſit, neque à potentia, ſed ab impotentia ſolum oriatur, ab illa nimirum cauſſa, vel agendi vi, quæ à fine ſibi propoſito deficere, ac aberrare poſſit, adeoque actum exerere, qui debita rectitudine, vel perfectione careat, ab infinita, potentiſſima, perfectiſſimaque Cauſsa produci

* Stoici dicunt multa eſſe in numero animalium, quorum adhuc lateat utilitas, ſed eam proceſſu temporum inveniri, ſicut jam plura prioribus ſeculis incognita neceſſitas, & uſus invenit. *Lactant. de Ira Dei cap. 13.*

duci non poterit. * Quod vero Deus ipse peccatum, quod avertere, ac impedire profecto poterat, libere, consultoque permiserit; id ipsius bonitati, vel perfectioni non repugnat; non modo quod liberam voluntatis humanæ vim minuere, ac morale malum impedire non tenetur; verum etiam quod occulta quadam, atque admirabili ratione ex malis ipsis impensius aliquando bonum deducere ille possit, ut facile pluribus exemplis ostendi posset. * *

Quod vero scelestis etiam, ac iniquis hominibus felicitas interdum contingat; boni vicissim, ac honesti doloribus, egestate, calumniis premantur, id optime cum divinæ justitiæ legibus, ac natura componi poterit. Etenim, ut suse, & elegantissime Cicero (a) ostendit, felicitas illa, voluptas, & gloria, quæ scelestis hominibus inesse concipitur, vera felicitas esse non potest; cum innumeris anxietatibus, ac impendentium pœnarum formidine infecta sit, vicissim vero infelicitas illa, quæ justis contingat, vera infelicitas haberi non poterit; quippe quæ cum perenni animi rite compositi tranquillitate conjuncta esse possit, nihilque honestis hominibus jucundius esse debeat, quam (b)

Nil

---

* Duabus ex caussis peccamus: aut nondum videndo quod facere debeamus; aut non faciendo quod debere fieri jam videmus; quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. *S. Aug. in Enchir. num. 22. al. cap. 81.*

* * Deus, cum summe bonus sit, nullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esse omnipotens, & bonus, ut benefaceret & de malo. *S. Aug. in Enchir. num. 3. al. cap. 4.*

(a) *Tusc. Lib. 5. cap. 20.*

(b) *Horat. Lib. 1. Epist. 1. ver. 60.*

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Et quamvis etiam scelesti vere felices, honesti vero infelices dicantur, adeoque accurata pœnarum, præmiorumque distributio, sive divinæ justitiæ leges in hac brevi ac interitura hominum vita satis intelligi, vel explicari non possit; futurus est tamen perennis alterius, ac immortalis vitæ status, in quo Deus justis solum præmia, iniquis pœnas decernere, ac reservare possit, adeoque justitiæ suæ leges puriori quadam nobiliorique ratione observare, ut inter Ethnicos etiam Plutarchus in aureo Libello demonstravit, ubi *de sera Numinis vindicta* disputavit.

Denique, ne in re perspectissima diutius immorer, effectus illi, qui temere solum ac fortuito in Universo fieri, adeoque divinæ præscientiæ, vel Providentiæ adversari dicuntur, fortuiti quidem, temereque producti censeri illi poterunt, si ad tenues humanæ cognitionis vires referantur; adeoque cum effectuum illorum caussa, finis, connexio nobis incognita, vel obscura sit, effectus illi fortuiti, improvisi, vel contingentes dicuntur. Sin vero finis ille, connexio, proportio subtilius exploretur, atque ex innumeris effectis aliis argumentum sumatur, quæ rudibus ac imperitis fortuita videntur, sed à Physicis tamen necessaria, suisque à caussis perenni quadam constantique lege disposita demonstrantur, deprehendi facile poterit quod obscuriores etiam effectus aliqui, quorum finis, caussa, & origo nobis incognita fortasse fuerit, à divina præscientia, libertate, beneficentia pendere debent; ut nihil proinde fortuitum, improvisum, temereque in Universo productum effingi possit. Itaque, si res, & effectus omnes, qui in Universo conspiciuntur, admirabili quadam